



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.



2

LEVINI LEMNII
MEDICI ZIRIZÆI,
DE HABITV ET CONSTITV-
TIONE CORPORIS, QVAM GRÆCI
κρᾶσις, Triuiales COMPLEXIONEM
vocant, Libri II;

*Omni-
bus quibus
secunda
valetudo
cura est,
apprime
necessarii:
ex quibus
cuiq;
proclive
erit
corporis
sui
conditionem,
animiq;
motus,
ac totius
conseruanda
sanitatis
rationem
ad
amuf-
siss
cognoscere.*

Nunc vero ab innumeris mendis, quibus passim scate-
bant, vindicati; opera G. A. G. formaque commodiore in
lucem editi.

Cum INDICE Rerum & verborum copiosissimo.



FRANCOFVRDI
Apud Ioannem Wechelum,
M D LXXXXI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

S
C
R
d
r
d
d
ti
P

m
in
qu
m
lit





SPECTATISSIMIS
COSS. CORNELIO OCKE-
RO INTEGERRIMO AC CAN-
doris eximii viro, Petro Nicolaidæ vi-
ro industrio, ac præter insignem eru-
ditionem administrandæ reip. obeun-
disque functionibus Tribunitiis peri-
tissimo; denique ordini Senatorio cum
primis illustri, cæterisque Ciuibus ma-
gistratui obsequentissimis,
L. Lemnius S. P. D.



*ICI vix queat viri spe-
ctatiss. quo sit affectu, qua
animi propensione erga Ci-
uitatem hanc, eiusq; ciues
ac municipes vester Le-
mnius; partim quod prima vitæ lucisq; hu-
ius auspicia in hac sit consequutus; partim
quod inter illos versetur, qui quum sint hu-
manitatis studiis abunde imbuti, tum suas
literarum monumentis, omniq; rerum ca-*

LEVINI LEMNII

gnitione sedulo institui curant. Hoc siquidem potissime cuique civium est in votis, eoque omnis eorum spectat conatus atque industria, ut quos heredes instituunt, non tam opum splendore, rerumque fortuitarum affluentia, quam doctrina ac morum integritate illustres prestare pergant. Quae res haecenus effecit, ut civitas Zirizæa in maximis calamitatibus quas toties perpeffa est, inconcussa substiterit. Siquidem clarissimi Senatus auctoritate et consilio fulta, nulla sui parte labefactari luxarique visa est; aut si quid detrimenti acceperit, si qua iactura aut clades illata sit (ut nemo non aliquo incommodo vel urgetur vel afficitur) confestim viri consulares summa cura, parique animorum consensu resarciunt, instaurantque omnia, atque in integrum collapsa restituunt. Quum enim Magistratus munus sit atque officium strenue suas obire partes, civium commodis prospicere, optimum civitatis statum moliri, luxata instaurare, fulcire nutantia, inclinata erigere, collapsa in gradum reponere; obiter,

Con-

EPISTOLA DEDICAT.

Consulere in medium, & rebus succurrere fessis,
Omnia in antiquam correctâ reponere sedem:

Nulla sui parte in his perficiendis cessant
viri politici; omnia inculpate magistratus
exequitur, suisq; muniis ordo Senatorius
preclare fungitur. Tametsi enim maligna
sit, parumq; fida nauium statio, portusq; in-
commodus, nec ullus propemodum extero-
rum concursus & negotiatio, ipseq; Ocea-
nus tanta quotannis adferat dispendia, ut
incredibili sumptu^o noua subinde, atque in-
immensum erigende sint aggerum moles,
quibus fluctibus obnituntur, ac maris fero-
ciam retundunt; alacri tamen atq; infracto
animo omnibus obsistunt, sartaq; tecta, ut
dicitur, perficiunt. Siquidem penes eum
Consulem qui ex tribunitia potestate plebis
curam tutelamq; suscipit, consistit hac rei
agraria prefectura. Is sibi asciscit ex patri-
ciis Septem viros ut municipales collegas ac
consultores, qui quod patriae commodis con-
sulunt, voce gentilitia Heimradt nominan-
tur. Hi, quum res poscit, per totius insulae
ambitum deuecti longe lateque exporrectos
aggerum tractus, incurua littora, sinus im-

Heim,
patriâ ac
natale so-
lum Ger-
manis o-
lim sona

LEVINI LEMNII

bat, cuius Tacitus meminit libro de huius generis moribus.

Philippi Burgundicæ ducis in Zirizæos munificentiâ anno 1425. Libro de moribus German.

mensos cataractas, aquæductus, portus, orasque maritimas omnes alacriter perlustrat; ac si quid dissipatum sit ac conuulsum, marisque violentia concussum dissiliit, acriter instant, omnibusque instaurandis vigilanter incumbunt. Hanc prerogativam ac tribunatum, hoc est administrandi soli, fundique patrii munus consequuta est civitas Zirizæa a Belgarum principe Philippo cognomēto Bono, qui & Zelandis quos Mattiacos Tacitus vocat, imperabat; quod singularem in Magistratu vigilantiam, agendique solertiam perspexerit, adeo ut illorum industria frequentius vindicata, assertaque sit Scaldia insula ab interitu, quem Oceanus inundans vicinis crudeliter intulit. Quo effectum est, ut exteri quoque nostratiū opera utantur, ubi novos portus erunt, ubi ex mari vindicanda sunt latifundia, atque agrorum aliquot myriades sementi messi que uberrime accommoda. Ceterum cum innumera huic civitati sint ornamenta illamque illustrent, tum nulla re mihi visa est commodatior ac plus solidæ laudis promereri, quam quod

tot

EPISTOLA DEDICATA.

tot viros literatos proferat multisq; præclaris ingeniis fœcunda sit atq; exculta; quorū consilio ac prudentia non domesticæ modo res, sed externæ quoq; nationes nituntur. Siquidem complures ex hac urbe in principum consilia sunt asciti, atq; ad amplissimas dignitates euecti. Cui hoc accedit ad ampliore[m] magisq; vberem laudis cumulum, quod non modo patricii viriq; politici, sed plebeiū quoq; sortisq; infimæ homines summa ope enitantur, ut ex se prognati ad eruditionem prouehi possint: quorum nonnulli tametsi ἀνοσοί sint, atq; ab humanitatis studiis alieni, tantum abest ut ea aspernentur ac fastidiant, illisq; ut eorum rudes, infesti sint, ut hoc decus atq; ornamentum in omnē posteritatem propagare exoptent, ad ea quæ illis sunt incitamento, atq; omnes suas facultates in iis consequendis conferunt. Possum hoc ipsum ingenue citra adulandi suspitionem de ciuibus meis testari, ut quibus annos supra tres & triginta operam meam in medendo approbare præstareq; studui; quæ vero dexteritate ac successu, penes illos

LEVINI LEMNII

fides esto, ac iudicium, qui nostram indu-
striam in expugnandis demoliendisq₃ mor-
bis sunt experti. Quoties, ego viri prestan-
tissimi, in congressu familiari deplorantes
audio opulentos quosdam & qui nobilitatē
diuitiis metiuntur; quod disciplinis aut ni-
hil prorsus, aut tenuiter sint imbuti, adeo
indigne animoq₃ iniquo ferunt deesse sibi il-
la natura praesidia, ut aliquot talētorum ia-
cturam facere non dubitent, si in doctorum
album referri censeriq₃ possint. Nimirum
sentiunt homines minime stupidi aut obesa-
naris, quid momenti adferant ad rem au-
spicatio sciteq₃ peragendam, literarum ad-
minicula, quantumq₃ natura inuenitur arte.

Quo spectat illud Horatii;

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid proficit, video iogeniū; alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

In sententiis enim proferendis, in obeun-
dis legationibus, exequendisq₃ muniis pu-
blicis, in adhibendo rerum verborumq₃ de-
lectu, in corrigendis qui latenter taciteq₃
irrepperunt erroribus, in tollēda reprimen-
daq₃

EPISTOLA DEDICATA.

daque superstitione; in stabiliendo sincero Dei
 cultu, fouendaque religione plus adferunt
 iudicii, pauloque sunt oculatiores viri docti
 ac literis expoliti, quam qui harum presidio
 sunt destituti. Quod quum potissima ci-
 uium nostrorum pars perspectum habeat,
 in hac palaestra eoque stadio sedulo se exercet;
 in quo ut progressum faciant omnibus mo-
 dis futurus sum adiumento, ne eas opes et
 viatica parare desinant, quae extra fortuna
 aleam sunt constituta, quaeque eripi non pos-
 sunt. Sint penes alios ampla longaque expor-
 recta pomeria: vigeat apud illos negotiatio,
 hominum concursus et frequentia, sit mul-
 tarum magnarumque rerum possessio, qua
 plerumque instabilis atque infida, vel eripi so-
 let, vel alio transferri: nostrae profecto Civi-
 tati hoc nomine praecipue gratulor, quod
 praeter negotiandi solertiam ac conquirendi
 studium, praeter uberem rerum prouentum,
 praeter agros feraces, ac messi triticae acco-
 modos; praeter herbida saginando pecori pa-
 scua; praeter salis conficiendi industriam,
 illas opes praeter ceteris ciues consecretantur et

LEVINI LEM. EPIST. DEDIC.

respectant, in quas nihil iuris fortuna mutabilitas sibi vendicat. Quas ob causas viri integerrimi visum est hoc munere literario vobis gratificari, vestrosq; animos lucubrationibus hisce nostris demereri: quas eo magis gratas acceptasq; fore confido, quod non ab inquilino aliquo, aut alterius loci populari; sed eiusdem Reipublice ciue ac municipe sint profecta: tum quod ea vestro nomini atq; amplitudini dedicatur, quæ summis pariter atq; infimis ex æquo futura sint vsui, quæq; corporis valetudini prospiciunt, animoq; cultum adferunt, ac mentem aliqua ex parte informant pietati. Deus Opt. Max. cui per Seruatorem IESVM CHRISTVM nostra vota nuncupamus, Remp. nostrã adaugeat, vobisq; omnibus in ea stabilienda firmandaq; successum incrementaq; conferat. Zirizæa ex Museo nostro: Anno redempti orbis Sept. 1561. Calendis Ianuariis.

LEVI-



LEVINI LEMNII
MEDICI ZIRIZÆI, IN

SEQUENTES LIBROS PRÆFA-
tio, quæ argumenti vicem obtinet; atque
obiter commonstrat, quo spectet libri huius
ordo & series, & quam sit futura
utilis huius operis tra-
ctatio.



VO non minus utilitatis, quam oble-
tamenti concipiat ac consequatur au-
dus Lector; quid præsens opus tractet
ac complectatur, compendio indicare
visum est, ut hinc documenta sumere
volenti longè vel inquisitionis, vel coniecturæ labor
absit. Quocirca ne cui fucum fecisse videar, ac post-
modum indignetur plausibili titulo sibi impositum,
in ipso vestibulo, primoq. operis aditu hoc Satyrici,
argumenti loco exhibeo,

*Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.*

Quum enim nemo sit mortalium in tanto, tamque
acerbo humanæ naturæ lapsu atque inclinatione, qui
non minus in animo, quam corpore aliquam cladem
acceperit, hoc potissime argumentum tractandū sus-
cepi, ut corpori ab integritate delapso, tum animo va-
cillanti, atque ægritudine oppresso (commonstrata
utriusq. partis naturæ) aliquam medicinam adhiberem.
Itaq. singulorum, prope dixerim, hominum mores,
studia, conditiones, vitæ instituta, animi propensiones,
conceptus, voluntates, cogitata, molimina, & qui

quodq. corpus valetudine, quo habitu, & constitutione existat, quam potui dilucide patefacere sum conatus, quo quisq. vitiis quum corporis, tum animi, si qua vrgetur, mederi possit & obsistere, vel a morbis se tutum præstari ac tueri, si ab iis liber sit & immunis.

Consensus corporis & animi.

Anima an corporum morbus nocentior.

Indulgentia quid efficiat.

Tusc. 3.

Quoniam vero corpus & anima sympathia quadã ac consensu inter se cõnexa sunt, virtutesq. ac vitia vltro citroq. deriuantur; atq. hinc inde confluunt, mutuã paremque operam hæc ipsa exposcunt. Scio equidem a multis ambigi, atq. in dubiũ vocari, cuius partis humanæ naturæ morbus nocentior, atq. homini magis exitiosus; quod vt non facile expediri posse fatear, ita omnibus persuasum esse cupio, maximam malorum partem ab anima internisq. viribus proficisci: quod enim corpus morbosum animæ sit oneri, suamque operam illi geneget, huius potius, quam illius incuria culpanda est. Siquidem quum corpus animi imperio subditum sit, illiq. obsequium præstare cogatur; munus animi, mentisq. officium est, domitis affectibus, illud in officio continere, ac ratione moderari. Vt enim liberior licentia, atq. indulgentia mollior adolescentiam, lubricamque ætatem deprauat, atq. deteriorem efficit, omnesq. animi neruos elidit; ita habentæ laxiores corpus ad voluptates, ad luxum, ad libidines, fœdasque cupiditates, postremo ad innumeros morbos reddunt propensissimum: quorum omnium mens ebria, suiq. oblita, origo existit, ac seminarium, quod omnem cultum ac salutarem doctrinã respuat. Miratur autem Cicero, quidnam causæ sit, vt quum ex corpore & animo constemus, corporis curandi tuendiq. causa excogitata sit & quæsitã medendi ars, Deorum inuentioni consecrata; animi vero medicinam adeo non desiderari, vt etiam pluribus suspecta sit & inuisa, nam paucis culta ac probata. Cuius erroris causam & culpam in animum transferendam quis possit ambigere? nam illi, nõ corpori iudicium defertur, ac de doloris sensu iudicandi peritia tribuitur. Quocirca quum homo diuinitus originem sit sortitus, illiq.

mens

AD LECT. PRÆFAT.

Mens cælesti lumine illustretur, atq. afflatu spiritus
abunde perfundatur: par est vt naturæ suæ decus, am-
plitudinem, dignitatem, præstantiam tueatur, vt ra-
tione potius, quam affectibus ducatur, vt dotes men-
tisq. ornamenta foueat atq. amplificet, vt corporis atq.
animi incolumitati accurate prospiciat, vt vtriusque
partis quum morbis, tum vitiis obsistat ac medeatur,
quibus perficiendis obuia, nulliq. non exposita est
medicina, ac remedium salutare. Siquidem animæ
salus ex purissimis Scripturæ fontibus; corporis vero
sanitas ex conscriptis medicorum libris, aut salubri
illorum consilio parari potest, quibus hoc quisq. ob-
tinebit, vt aut non ægrotet, aut si quo morbo, vllloq.
affectu tentari contingat, confestim illum excutiat
atque amoliat. Hæc studiose Lector præfari visum
est, quo quisque intelligat, quid sibi expetendum sit,
ac sectari debeat, vt commode nullaq. molestia aut
valetudinis dispendio vitæ cursum petfi-
cere possit, qua de re fusius tra-
ctare institui.

*Mentis sa-
nitas unde
petenda.*



INDEX CAPITVM
LIBRI PRIORIS.

- Cap. 1, *Sanitas qua nihil homini optabilius, aut expetendum magis, corporis sui notitiam exigit.*
- 2, *De spirituum natura ac differentiis: tum quid in corpore humano efficiant, quosq; affectus pariant.*
- 3, *De spiritu qui toti mundo, eiusq; partibus insitus est, quiq; in hominem diuinitus illapsus, mentem eius peculiari munere imbuit. Obiter de bonis malisq; genis qui humoribus spiritibusq; immixti varias mutationes humanis animis inferunt.*
- 4, *De corporis humani elementis primisq; qualitatibus, ac generationis principiis, ex quibus homo constat, ac conflatus est.*
- 5, *Quid Crasis seu temperamentum in quo cuiusq; habitus, ac corporis constitutio consistit.*

De

- 6, De temperato exactoq₃ corporis habitu ac constitutione.
- 7, De calido corporis statu.
- 8, De frigido corporis habitu.
- 9, De sicco aridoq₃ corporis habitu.
10. De humido corporis habitu.

LIBRI II.

- Cap. 1, De composita humani corporis habitudine ac temperamento.
- 2, De calido & humido corporis statu ac temperamento: obiter de sanguinei hominis conditione ac natura.
 - 3, De frigidi & humidi corporis habitu & constitutione, ex qua Pituitosi seu phlegmatici conditio eruitur, eiusq₃ natura explicatur.
 - 4, De Memoria excolenda, amoliendisq₃ eius detrimentis.
 - 5, De calidi & sicci corporis statu & habitudine. Obiter qua sit natura, conditione, ac moribus, animiq₃ propensione homo biliosus seu Cholericus.

6. De frigidi & sicci corporis habitu; cui
quoniam homo melancholicus sub-
est, atque atra bili obnoxius, illius
quoque natura & conditio explica-
tur, quaq; ratione expugnari possit,
edocetur.

LEVI.





SANITAS, QVA

NIHIL HOMINI OPTABILIVS, AVT

expetendum magis, corporis sui notitiam

exigit.

C A P. I.



ECTE mea quidem sententia omnis *Lib.2.Off.*
eruditionis atque eloquentiæ parens
Cicero, *Valetudo sustentatur notitia sui cor-*
poris, atq; observatione earum rerum que aut
prodesse aut obesse soleant; denique conti-

Quid va-
letudinem
fulciat.

nentia in victu, omnique cultu corporis, ac præter-
mittendis voluptatibus; quæ, vt mea fert sententia,
non tam corpori, quam animo perniciosæ sunt at-
que infestæ. Quocirca summa cura quemque eniti
decet, vt corporis sui habitum, qui in quatuor qua-
litarum Calidi & Humidi, Frigidi & Sicci temperie
ac mistura consistit, perspectum exploratumque ha-
beat. Sic enim commodius, minorique negotio va-
letudini prospicere poterit, ac morbis, si qui ingruunt,
obsistere ac mederi. Siquidem quum sanitas natu-
ralis sit corporis, eiusque partium status & constitu-
tio, qua omnes actiones ac munia citra offensam
perficiuntur, omniaque membra nullo doloris sen-
su suas functiones obeunt: Morbus vero affectus
præter naturam, qui actionem vel vitiat, vel impe-
dit, illique cruciatus infert, atq; omnia contra quam
sanitas, deteriora efficit: nemini procliue præptum-
que erit præsentem sanitatem, & qua fruimur, va-
letudinem conseruare, aut collapsam restituere; nisi
in cognitione corporis, eiusque temperamento sit

Quid Sa-
nitatis.

Quid
Morbis.

Anima
hominis
pars potior.

Anima &
corpus mu-
tuam ope-
ram expo-
scent.
Sat. 12.

exercitatus. Et quamquam anima corpore sit præstantior, atque hominis potior pars, in eaque excellenti præcipuam curam impendi velim; corpori tamen accurate prospiciendum censeo, ne oneri sit animæ, illique ad præclara enitenti tarditatem moramque iniiciat. Vbi enim corpus valetudine inoffensa extiterit, omnibus suis officiis inculpate fungitur, suaque munia alacriter obit, atque expedite exequitur; adeo ut animo cuius imperio utitur, sit obsequentius, nec ad illius monita ac vellicationes obsurdescat. Scitum est illud Iuuenalis, animoq. penitus infigendum;

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

Fortem posse animum, & mortis terrore carentem,

Qui spatium vita extremum inter munera ponat

Natura, qui ferre queat quoscunq; labores,

Nesciat irasci, cupiat nil: semita certe

Tranquilla per virtutem patet unica vita.

Vorabona.

Sanitas
auro po-
tior.

Quas corporis animique dotes, ac munera mentis qui est consequutus, nulla huic obtingere potest firmior stabiliorque possessio, & in quam fortunę temeritas, rerumque humanarum æstus & concitatio minus iuris sibi vendicat. Si quidem præclaræ opes, facultates immensæ, sumptuosa ædificia, ampla longæque exporrecta iugera, ambitiosi tituli, atque appellationes honorificæ præ his sordescunt, nulliusque sunt usus aut precii. Etenim, ut ex iis conicias cætera,

Hor. lib. 1.
Epist.

Non domus & fundus, non aris aceruus & auri

Ægroto domini deduxit corpore febres,

Non animo curas: valeat possessor oportet,

Si comportatis rebus bene cogitat uti.

Quamobrem quum inter præcipua potissimaque bona, corporis atque animi incolumitas iure optimo referatur: par est omnes in hac assequenda fovendaque certatim incumbere; ac cum sibi, tum suis

DE COMPLEXIONIB. LIB. I. 3

suis summis votis exposcere hæc vitæ solatia, hæc fomenta, quo commodius nullaque molestia vitæ huius calamitosæ cursum perficere liceat. Siquidem si Horatio consentias;

Quid moueat dulci nutricula maius alumno?

Quam sapere & fieri possit quæ sentiat, & cui

Gratia, fama, valetudo contingat abunde.

*Epist. ad
Albium.*

Quocirca qui optimam degendæ vitæ rationem inire velit, hoc in primis efficere præstareque pergat: vt integra sit atque incorrupta sanitas, ac primum menti prospiciat, deinde corpori, cuius futuris animus ipse sustinetur, culturam adhiberi curet. Siquidem ex ignoratione nostri, ac corporis animique neglectu in morbos varios, atque affectus innumeros vel inuiti rapimur, ac tanquam nauis onusta mercibus ingruente tempestate valida, in perturbationum scopulos deferimur; eoque fit, vt multis præmaturæ vitæ stamina succidi contingat, multosque properata morte confici, qui nullum tuendæ conseruandæque valetudinis discrimen ac delectum habere curant. Quo spectat salubris illa cum primis Sapientis admonitio: *Circumspice ne moriaris tempore non tuo.* Quo quemque commonefacit, vt considerare vitæ cursum instituat, atque ita moderetur rebus suis, ne luxu vitæque intemperantia accelerari interitum contingat; ac nondum confecta ætate, decursoque xui spatio ante diem opprimatur. Quisque autem secum ipse expendat, quam calamitosa res sit, plenaque tædii, circumferre corpus foedissimis vndique morbis contaminatum, atque oppressa ratione, mentem internis vitiis inquinatam. Quæ, cedo, huic vita esse possit suavis & iucunda, animusque tranquillus ac placidus? Quum itaque nulla res sanitate sit potior, huius tutelæ ac conseruationi sedulo quisque insistat; deni-

*Nescete
ipsum.*

*A nau-
fragio si-
mile.*

Eccles. 7.

*Immatura
ra mors.*

Natura
mutatio.

Humorū
mutatio.

Ab arbori-
bus simile.

Lib. 2. Ge-
orgic.

Animi
cultus.

Simile a
refluida.

que obseruet quantum a moderata temperamen-
ti ratione defluerit, ac sit delapsus. Quæ conside-
ratio cum vsum est habitura, vt si valetudo firma
extiterit atque illæsa, fulcire illam, suisque admini-
culis stabilem præstare pergat. Sin deterio-
rem nactus est, vel quæ collapsa sit, atque ab integritate de-
flexerit, illam erigat, atq; instaurare curet, habitum-
que sanio-rem emolliri. Vt enim humores alii in alios
prompte transeunt, ac mutationes sustinent mode-
rato exercitio, appositisq; cibis, & quæ calori nativo
fomenta ministrant; sic deterior corporis status ac
decolor efflorescit salubri victus ratione, atq; in me-
liorem reducitur. Et quemadmodum membra fra-
cta, rupta, conuulsa, suisque sedibus mota instaurari
videmus; sic valetudo inelinata vel imminuta resti-
tui potest, atque in integrum reuocari. Sunt autem
quum mentes, tum corpora humana propemodum
vti frutices atq; arbuta; quæ si commode atq; accu-
rate tractes, si industriam operamq; etiam incultis
atque infœcundis adhibeas, aut denique, vt Virgi-
lius præcipit,

*Inferas, vel scrobibus mandes mutata subactis,
Exuerint siluestrem animum, cultuq; frequenti
In quas cunq; voces artes, haud tarda sequuntur.*

E diuerso, coloni incuria agri sterilefcunt, ac
squallore situq; obducti nullis rementibus efficiun-
tur accommodi. Animorum quoque par est ratio.
Siquidem generosæ mentis, bonæque indolis non-
nulli improborum commercio, ac praua educatione
siluescunt, atque a naturæ integritate desciscunt. A-
lii vitiosam naturam nacti, educationis ac doctrinæ
beneficio ad frugem perducuntur. Quapropter non
est quod quis in animum inducat, sibiq; persuadeat,
deteriorem habitum mutationem non perferre,
quum rudiora etiam impolitaque ingenia, ac disci-
plinis minus exculta, vt cera mollis, vt tractabilis v-
daque

daque argilla, fingi flectique possint, atque artificis docilitate ad artes politiores, ac mores minus rigidos perducunt: Sic in natura rerum insitione, qua nihil excogitatū solertius, agrestes arbores mitescunt: In animantium genere, feræ atque immanes belluæ officio hominum mansuescunt accicurantur. Documento est Mago Carthaginensium dux clarissimus, qui primus teste Plinio, leonem domitum ac mansuefactum manu demulcere ausus est, damnatusque illo argumento, quod nihil non persuasurus videretur vir tam artificis ingenii, eoque male illi credi libertatem censebant, cui intantum etiam cessisset feritas. Caterum Melancholicos vel alterius conditionis homines, modo ne diutius intemperies inoleuit, atque ætas sit prouectior, in meliorem habitum demigrare posse, non est quod quis ambigat: quum nemo non perspiciat vinum meracum, calorisque satis intensi, aqua gelida, vel mitiori succo dilui: tum vinum leue ac dilutum, saporeque aqueo, meraciori ac magis generoso liquore acui. Humores siquidem vel vitiati, vel aliena qualitate imbuti, alterius humoris commixtione mitescunt, atque exuta natiua qualitate, extraneam asciscunt. Sic cholera feruor affuso sanguine, ac phlegmate mitigatur. Phlegma seu pituita, flauæ bilis admixtione calorem concipit, minusque qualitate frigida, atque humida corpori infesta est. Pari ratione de reliquis statuas. Adferunt autem ad hæc adiumenti plurimum alimenta, ac laudabilis succi cibi, ex quibus humores, & qui inde emanant, spiritus mētis incitabula, suam naturam sortiuntur. Nihil autem efficacius ad perficiendam concoctionem & excitandos spiritus, somno, exercitatione, vino, modo id generosum sit, ac moderate, vt cætera, exhibeatur. Sic enim spiritus synceros excitat, ac lucidos, minimeque densos, ex quibus emergit alacritas, mentisque hilaritas &

Simile ab insitione.

Simile ab animantibus.

Lib. 8. cap. 17.

Mago leonem domuit.

Simile a diluto vino.

Quid concoctionem perficiat.

- erectio. Alimenta siquidem quæ in humores elaborantur, vino perfusa, ac salubri succo macerata liberius permeant, ac corporis conceptacula patentiora laxioraque efficiunt. Nihil itaque est quod mentis nebulas æque discutit, ac mœrorem animis nostris eximit, quam congerrones festiui ac lepidi, *moderatus vini usus*. Exhibuit huius rei illustre exemplum Zeno ille tetricus, cuius animus ad omnia humanitatis officia ita occalluit, vt nullis affectibus etiam natura nobis insitis moueretur; istamen, vbi vino incauit, exhilarescere cœpit, tum festiuius esse ac venustus. Quum autem ex sodalibus sciscitaretur quidã, cur, quum esset ad prodigium vsque seuerus ac rigidus, inter pocula tamen exhilaresceret: lepide respondit, lupinis se assimilẽm. Quod leguminis genus, tametsi amarum sit, adeo vt vermes interimat; maceratum tamen atque aqua perfusum, exuta elotaq. amaritudine dulcescit. Est autem hoc omnibus natura insitum, vt cibo potuq. irrigato corpore amarulentia, omnisque mœror ac tristitia discutiat. Excitantur enim spiritus moderato vini vsu, ipsaque mens, quæ in pransis elanguescit, atq. vt ignis cineribus obductus, consopita est, reuiuiscit. Quo fit vt corpus mortuum viuentẽ sit ponderosius, quod omnis spiritus in auras euauit, ac ieiunum bene pasto, dormiens vigilante. Quo circa Melancholicos ac tetricos ad symposia, ac geniales accubitus extimulare soleo. Sic enim post Platonem;
- Narratur & prisci Catonis
Sape mero caluisse virtus.*
- Qui vir tametsi esset inamabilis, vultuque toruo, seueritatem tamen & supercilium illi excussit vinum adeo, vt inter conuiuas blandus esse cœperit, moribusque plane comicis. Sensit enim vir is, licet esset censor rigidus, ac grauitate Stoica, naturam humanam exposcere aliqua auocamenta, nec diu posse subsi-

Eccles. 31.

*Tetrici
quando
festiui.*

*Zeno quã
do festiuus.*

*Lupinorũ
natura.*

*Pransie-
iunis ere-
ctiores.*

*Cur mor-
tuus viuẽ-
re pãdero-
sior, &
grauior.*

Hor. lib. 3.

Carm.

Od. 21.

substiteret, nisi aliquid laxamenti sibi imperet, ac rebus seriis oblectamenta intermiscet. Quapropter seipsum quisque excutiat, atque exploret, quid exigat naturæ conditio, quis sit corpore status, qua re iuuari, offendique se percipiat. Quod si æquabilis existat ac temperata corporis habitudo, similibus foueri debet ac conseruari: sin ad intemperiem deue-
 xa sit, contrariis erigi, ac resarci postulat. Ita si quis ex humorum redundantia, turgenteque sanguine, ac spiritibus sit in Venerem concitator, aut plus satis petulcus ac lasciuus, immutata victus ratione, vitæque instituto, ad seueriotem habitum, ad mores sedatos se componat: sin seuerior sit, magisq. quam par est, morosus, aut querulus, denique præfractus, durus, intractabilis, & quem nullis blandimentis, nullisque verborum lenociniis emollias, hic ad vitæ genus reuocandus est, quod paulo sit mitius, sic vt tripudia, cantilenas, suauiam mulierum blandimenta atque amplexus non exhorrescat, modo omnia honestati decoriq. inseruiant, atque intra mediocritatem, intra coniugii limites consistant. Est enim, vt Columella ex Xenophontis Oeconomico prodidit, maritale coniugium ita comparatum naturâ, vt non solum iucundissima, verum etiam vtilissima, vitæ societas ineatur: & ne genus hominum temporis longinquitate spectaret ad interitum, matrem feminæ legitime Deus coniunctum esse voluit, vt ex indiuidua societate, mortalibus adiutoria non deessent, ac præter amorem gignendæ sobolis mutua vitæ ac fortunarum coniunctio illos deuinciret. Caterum cum tria a probatissimis viris qui omnium valetudini optime consultum cupiunt celebrata sint,

*Vesci citra saturitatem,
 Non refugere laborem,
 Vitale semen conseruare.*

*Sua cuiusque
 natura exploranda.*

Utilis aliquando natura mutatio.

Lib. 12. c. 1.

Genes. 1.

*Connubii
 commoditas.*

Tria saluberrima.

Ad hanc amissim, ac normam, totius conseruanda sanitatis rationem exigendam censeo. Siquidem quum frugalitas, profligata crapula atque ingluuie, salubre corpus constituat: exercitatio vero excussa ignauia corpus validum reddat, ac vegetum, tum si ex Virgilio documenta sumere libeat,

Georg. 2.

*Nulla magis animi vires industria firmat
Quam Venerem, & caci stimulos auertere amoris.*

De spirituum natura, ac differentiis: tum quid in corpore humano efficiant, quosque affectus partiant.

C A P. II.

*In tribus
corpus consistit.*

Humor.

Calor.

Spiritus.

Quoniam spiritus caloris natiui, cui subest humor, primigenius fomes est ac vehiculum: ipsaq. anima illius ministerio suas facultates profert, & actiones perficit: de illo, eiusque differentiis proxime disserendum. Siquidem quum tria sint in quorum temperie ac moderatione corporis humani incolumitas consistit, Humor vitalis, Calor innatus, & spiritus qui omnia connectit, suaque vi imbuit: operis instituti ratio exigit, vt de illo quoque verba faciamus. Humor fomentum est ac pabulum caloris innati qui illi incumbit, eiusque munere subsistit & conseruatur. Humori calor insidet, illoque perfunditur, ac vitalem vim concipit qua animantia, quæque viuunt, aluntur, augefcunt, nutriuntur, ac procreationi insistent. Spiritus caloris sedes est & vector, cuius opera ad singulas corporis partes per riuos ductusque arteriarum deuehitur. Quocirca merito censetur is spiritus primum ac præcipuum obeundæ functionis instrumentum, quod vim conferat in proferendis ciendisque actionibus. Tria hæc indiuulfe inter se cohærent, mutuasque operas conferunt, nec absque vitæ interitu separari possunt, eoque fit vt vna definitione comprehensa, eorum vim

vim ac naturam sic explicemus. Calor innatus nihil aliud est, quam humidum primigenium, insito spiritu & calore vitali vndique perfusum. Caterum quum spiritus, vitæ calorem contineat, omniumque facultatum sit moderator, ac per corpus celerrime diffusus vires suas vndique deuehat; corporis denique animique statum manifeste immutet, quum reliquis, tum huic præcipue labor impendendus est, quo instaurari fouerique possit. Siquidem si is syncerus est, ac defæcatus, nec vllam extraneam qualitatem conceperit, animi tranquillitatem parit, moresque integros constituit, denique affectus placidos ac sedatos;

Calor innatus quid

Spiritus puri quid efficiant.

*Compositum ius fasq; animi sanctosq; recessus
Mentis, & excoctum generoso pectus honesto.*

Pers. Sat. 2.

Quod si quid labis contraxerit, aut aliquo vitio imbutus sit, perturbari mentis securitatem contingit, atque ad enormes impetus incitari. Ut enim venti ac flatus impetuosi, vbi terræ marique incumbunt, sæuissimas tempestates excitant, ac damna rebus inferunt: ita si inquieti sint nostri spiritus, aut turbulenti, varios cient animi motus, ac mentem oblucente etiam ratione, vt nauem excusso nauclero, auulsoque clauo, in perturbationum scopulos illidunt. Extinguuntur autem, vel detrimenta concipiunt insiti nobis spiritus halitu foedo, immodica Venere, intempestiua vigilia, æstu ac labore nimio, inedia, mœrore animi, ac tristitia: quo spectat illud Sapiientis; *Spiritus letus ætatem efficit floridam: spiritus tristis arefcere facit ossa: ante tempus enim senectam adfert mœstia, animusq; sollicitus, atq; anxia cura ætatem imminuit.* Recreat autem reficitque illos somnus placidus, vinum lene & generosum, confabulationes festiue, exercitatio moderata, odorum suauitas ac fragrantia, quibus spiritus etiam extenuati atque euanescentes renouiscunt: quod in his perspiciamus qui animi deli-

A tempestat. simile.

Impuri spiritus nocumenta.

Quæ spiritus vitiat.

Prouer. 17.

Eccles. 30.

Quæ spiritus foueant.

*Spiritus
quid.*

*Cor vite
fons.*

*Spiritus
origo.*

*Quatuor
virtutes
naturales.*

*Cocōctionis
ac digestio-
nis munus*

quo collapsi extinctæ sopitæque animæ speciem adstantibus exhibent: hi siquidem admotis odoriferis restituuntur, atque in pristinum statum reuocantur. Cæterum cum spiritus vapor quidam sit, siue effluxus, atque exspiratio quæ ex humoribus emanat: in primis instituenda exquisitissima victus ratio, quo alimenta in laudabiles succos elaborata, spiritus synceros pariant, ac defæcatos. Sic enim suaues halitus, minimeque densi ac fuliginosi vapores in cerebrum delati, sensuum instrumenta nulla caligine offusa, ad perficiendas actiones futura sunt adiumento. Et quanquam cor ipsum fons statui solet, ex quo spiritus scaturiunt, quod arteriæ ex eo producantur, vt nerui a cerebro, venæ ab hepate: pro loci tamen diuersitate ac natura mutantur, atque alias appellationes sortiuntur, alias vires concipiunt. Horum & omnium facultatum quæ in homine vigent, primaria origo ex ipsis generationis principiis, hoc est, genitali semine, maternoque sanguine ducitur, quæ deinceps alimentis, vt flamma oleo, nutriuntur, ex quibus spiritus emergunt. Quæ vt exactius intelligi queant, spirituum procreationem, naturam, vires, differentiam, effectusque singulatim exequar, sumpto a naturalibus facultatibus ac potentiis exordio. Illorum enim munere efficitur, vt ingesto concoctoque cibo corpus alatur atque augeat, tum nutrimento vndique perfundatur. Constituuntur autem virtutes, quibus aluntur atque augeantur exhibito nutrimento animantes, quatuor: Vna quæ attrahit, allicitque cibaria, Secunda quæ retinet, Tertia quæ alterat atque immutat, Quarta quæ expellit. Ad quas potentias quæ omnibus corporis partibus sunt insitæ, primaria spirituum origo referri debet. Primum enim cibus dentibus attritus, confectusque mandibulis, in ventriculum reconditur, quem etiam is ad se rapit, antequam in faucibus ipsoque

ipsoque oris vestibulo exacte aut accurate sit laui-
 gatus; deinde concoquit, degeritque, ac sibi reddit af-
 simile, sic ut cedat in proprium membri tum nutri-
 mentum, tum augmentum: alienum vero abs se re-
 pudiat ac reiicit, hinc itaque primum spirituum ru-
 dimentum atque inchoatio. Quod si naturæ vis in
 conficiendo cibo sit valida, omniaque exacte per-
 ficiantur, spiritus puros lucidosque elaborari con-
 tingit, ac minus caliginosos: sin concoctio impedia-
 tur, aut aliqua subsit temperies, cibi in ructus vapo-
 rosos, inflatus, halitusque nidorosos transeunt, qui
 ex hypochondriis seu præcordiis sursum delati cere-
 bro mentique infesti sunt, sic ut tales ad iurgia, rixas,
 contentiones, dissidia leuissime incitentur. Vbi e-
 nim non satis excocti sunt humores atque attenua-
 ti, impuri ex his emergunt spiritus, qui corporis ani-
 mique statum manifeste immutant. Quocirca sum-
 mopere euitanda cruditas quæ humores vitiosos,
 ac spiritus turbidos parit, siue ex optimi succi cibis,
 seu prauis proueniant, tametsi deteriores morbos
 adfert frustrata concoctio, ubi ex vitiosis alimentis
 contrahitur. Siquidem hi odores fædos, olidosque
 ructus exudant, atque extimam cutem scabie ac pu-
 stulis vndique deformant. Quum enim in corpore
 humorum copia coaceruatur, necesse est ex assidua
 obstructione ac putredine febres exoriri, ac mor-
 borum examina pullulare, nisi labore assiduo,
 ac commoda exercitatione, expurgatis excremen-
 tis, humores in syncerum sanguinem fuerint re-
 ducti: tunc enim emanans suavis halitus caput re-
 ficit, ac cerebri squallorem rosido madore
 temperat, irrigatque alioqui turbata concoctio-
 ne, vapores in caput assiliunt densi ac fuligino-
 si, qualem humecta lingua, aut pice, seuque
 oblita effumant. Quo fit ut mens alienas, absur-
 dasque imaginationes concipere soleat, ac non-

*Affectuum
origo.*

*Cruditæ
noxia.*

*Opilatio
& putredo
morborum
origo.*

*Simile a
lignis vi-
rentibus.*

*Affectus
quando
mittores.*

*A politia
simile.*

*Quid lu-
xus effi-
ciat.*

Matt. 14

numquam ad delirium, maniam, phrenesim, melancholiam, furorem, aliumque mentis errorem deveniat. Quod si ventriculus munere suo probe fungitur, nec penitus frustrari concoctione contingat, ipsique meatus, qui ad hepar, reliquasque corporis partes porriguntur, liberum transitum humoribus concedunt: assurgunt quidem ad caput vapores, sed qui minus noxii sint, nullamque effatu dignam perturbationem menti inferant, sic tamen ut ab affectibus non prorsus sit immunis ac libera, sed quos in potestate habeat, ac facile cohibere possit. Naturalis itaque spiritus ex puriore alimento in hepate confectus, reliquorum principium existit. Siquidem spiritui vitali, deinde animali materiam, ac velut alimentum sese exhibet, sic ut animalis vis ac facultas, naturali spiritu, ut instrumento utatur ad cupiditates, atque enormes impetus, ad quos vel oppressa ratione, vel sopita subinde instigamur. Ut enim in seditione civili, tumultuque publico magistratus agre coercere potest populi conatus, atque improborum molimina: sic ratio ac vis mentis non facile compescere potis est vitiosos affectus atque effrenatas indomitasque cupiditates, quæ ex immoderata ingluvie ac temulentia ingrauescunt. Quis est autem, qui bene vuidus, ac vino affatim perfusus in Venerem, obscenasque cupidines non proruat? Distento enim vinolentia ac cupediis corpore, genitalia imoque ventri annexæ partes turgescunt, atque oborta tentiginè in libidinem despumant. Hinc auribus, mentique exitiales cantilenæ, indecoræ saltationes, amplexus, contactusque indecentes ac suauias, tum pleraque alia quæ præter spumantes paternas mensis inferri solent. Sic lasciva saltatrix Ioannis Christi præconis capiti exitium attulit, atque ut id præcideretur, incestus, ac fœnesta saltatio occasionem præbuit: adeo enim fœdus ac perniciosus amor,

mor, scelerati Regis mentem perstrinxit, vt a recta ratione, sanoque iudicio diuulsus, illi vitam eripi passus sit, cuius salubris consilio, ac monitis solitus fit acquiescere. Quæ Euangelicæ concionis series commonefacit Optimates quosque, & quotquot Reip. sunt destinati, ne temere sæuiant in innoxios, illosque morte ac tormentis afficiant, qui doctrina sana hominum mentes imbuunt, sed modis omnibus obsistant factiosis: tum iis qui contra æquitatem, contra ius fasque aliquid moliuntur, ac tranquillitatem publicam labefactant. Caterum corporis humani opificium ac structuram ex multis partibus conflata est, multosque ordines, vt Ciuitatis status, in se complectitur. Constat autem Resp. ex infima plebe, quæ baiulos, vectores, nautas, cerdones, aurigas, caupones, opifices, lenones sordidos, lanios, coquos, sartores, complectitur: deinde negotiatores, quorum nonnulla pars calliditate ac versutia captant ac venantur tenuiores, licet inter hos sint qui honeste ac liberaliter, nullaque fraude mercaturam exercent, vt salinatores Zirizæi: proxime patricos ac Senatorii ordinis, consularisque dignitatis viros, qui legibus ac plebis citis multitudinem confusam ac subinde tumultuantem in officio continent, omniaque pacata præstant ac quieta: postremo illos, quorum professio sublimior, qui animos mentesque hominum ad mores integros, ad probitatem, ad syncerum Dei cultum informant atque instituunt; denique modis omnibus efficiunt vt fidei ac doctrine sint capaces, ac fiduciam consequendæ salutis a cælesti patre ac Christo concipiant. Similis ordo ac membrorum quum decor, tum consensus in hominis corpore viget, suisque muniis quæque pars præclare fungitur. Sic Diuus Paulus ex corporis, eiusque partium harmonia ac concentu ad exequendam cuique designatam functionem extimulat. Ita autem omnia

Ioānis Baptistæ exitium.

Salutare consilium.

Factiosus obsistendū.

Reipublicæ forma.

Negotiatorum versutia.

Corporis ac Reip. comparatio.

1. Cor. 12.

Membrorum decor.

& usus.

*Homil. 31.
ad Corint.*

*Libro 2.
decadis 1.*

*Apologus
de mem-
brorum
disidio.*

*Nulla cor-
poris pars
inutilis.*

membra inter se connexa sunt atque implicata, ea-
que inter hæc sympathia & consensus, vt si quid de-
trimenti vel infimo articulo inferatur, tota moles
incommodum percipiat, parique malo afficiatur.
Sic, vt Chrysoſtomus ait, affecto pede, vel extremo
digito infixâ spina aut aculeo, reliqua membra con-
dolescunt, adeo vt caput quo nihil honoratius, sese
inflectat, oculi deorsum prospectent, manus habili-
tate curiosa spinam eximere, plagam obligare per-
gant. Ita nulla pars corporis est, quæ non aliquid
subsidiî afflicto membro conferre cupiat. Quocirca
apposite ad persuasionem teste Liuius, vsus est hu-
iusmodi exemplo Menenius orator, cum in discor-
dia ciuili a patribus distractam plebem, sumpta si-
militudine a tumultuantibus inter se intestino dis-
sidio membris, in urbem reuocauit: illustri siqui-
dem Apologo monstrauit seditiones vt in cor-
pore, ita in Republ. ad totius perniciem atque in-
teritum spectare: concordiam vero fulcire omnia
in stabilem Reipub. statum, corporis vero habitum
firmum ac salubrem perficere. Quam amice au-
tem inter se omnia consentiant, quantumque sin-
gula membra ex tot disparibus ac diuersis partibus
inter se connexa, suo officio fungantur, ex se quis-
que experimenta capere potest: nulla est enim
quamlibet minuta particula quæ non solum hone-
stam speciem ac decus ostendet, sed etiam vsum
commodum ac necessarium obtineat, & quæ quum
partium, tum totius vtilitati inseruiat. Sic podex,
intestina, ventriculus, hepar vt ab infimis ad maio-
ra progrediar, præcipuis membris victum emolun-
tur, ac sanitatem perficiunt, quorum opera ac mini-
sterio elaboratus cibus per venas in omnes corporis
partes distribuitur. Quod si viscera conficiendis per-
ficiendisque alimentis destinata sunt inualida, aut
languescunt, vel denique aliquod subest vitium, aut
impedi-

impedimentum, quo minus permeare, atque in habitum corporis perferri concoctus cibus possit, omnia in corruptelam deurgunt, quæ febribus morbisque omnigenis præbent seminaria, quæ antequam ingruunt, auersari, ac fastidire cibos homo incipit, atque oscitatione, nausea, pandiculatione seu distentione, ac rigore vexari. Et quoniam spiritus quos humores exhalant, alienam qualitatem concipiunt, ac cerebrum obnubilant, fit ut morosi quoque efficiantur, ac leuissime incandescant, aliisque animi perturbationibus agitentur. Quum enim naturalis spiritus in hepate conficiatur, non potest is purus effici, nec in substantiam aëream attenuari, nisi id viscus ab omni affectione sit liberum. Cæterum vitalis spiritus ex naturali originem concipit ac procreatur, qui a corde per arteriarum decursus in uniuersum corpus diffunditur, moresque varios producit pro crassitudinis, aut tenuitatis ratione, quam partim ab alimentis, partim ab aëris ac regionis conditione assequitur. Sic qui Aquiloni sunt expositi, tractusque frigidus occupant, ob sanguinem crassorem, densosque spiritus, animosam conspiciuntur, inhumani, formidabiles, truces, feroces, & qui vultu, voceque minaci hominibus terrorem incutiunt. Quod vero ad pericula adeunda attinet, intrepide se omnibus obiiciunt, vitæque discrimina alacri atque infracto animo subeunt. Quæ naturæ conditio in Asianis desideratur: illi enim molles atque effœminati, ingruente vel leuissimo incommodo labascunt, illatoque minimo doloris sensu ingemiscunt, ac metu exalbescunt. Quod discrimen animorum inter belli ciuilis tumultus obseruatum his versibus expressit Lucanus;

*Quicquid ad Eoos tractus, mundi, teporem
Labitur, emollit gentes clementia cali.
Omnis in Arctou populus quicumque pruinis*

*Signa col-
lapse va-
letudinis.
Unde non-
nulli mo-
rosi.*

*Vitalis
spiritus.*

*Vnde A-
quilonares
feroces.*

*Asiani
molles.*

Lib. I.

Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator.

Felices errore suo, quos ille timorum

Maximus haud urget lethi metus: inde ruendi

In ferrum mens prona viris, animaeque capaces

Mortis, & ignavum reditura parcere vitae.

*Sanguis
crassus
quid efficiat.*

*Sanguis
tenuis quid
efficiat.*

*Animae
vis.*

*Unde animorum
varietas.*

Quibuscunque enim sanguis crassus existit, aërisque ambientis frigore densescit, corpulentos hi validosque spiritus obtinent: quo fit ut sint implacabiles, atque animi motus impetusque diuturniores habeant, & qui serius deferuescant, eoque fit ut eorum plerique accepto vulnere, conspectoque sanguine acrius in hostem insurgant, atque in pugnam incallescant ardentius. Qui vero subtenui sunt sanguine, exiles habent spiritus, citoque evanidos: incandescunt illi quidem ocius, atque acriter certamine eunt, sed confestim iis ira subsidet, atque ad primum vulneris inflictum, sanguinisque emanantis intuitum, animo deficient ac collabuntur. Caeterum ad componendos sedandosque animi motus, ad sopiendos affectus enormes qui ex spirituum aestu ac feruore ebulliant, operae precium mihi quisque facturus videbitur, si quo agatur spiritu, qua vi ad actionem impellatur, quam sint feruidi vel remissi mentis stimuli, excutiat. Sic enim ad temperiem ac moderationem reuocare poterit quae ultra mediocritatem consistunt. Haec autem spirituum diuersitas, ex qua tantae ingeniorum, morumque varietates oriuntur, ab humoribus varias mutationes concipit. Ita anima, tametsi singularis sit, & ut Ciceronis verbo utar, *unigena*, multiplices tamen actiones edit pro spirituum natura, atque instrumentorum differentiis. Hinc tanta in animis hominum cogitationum, cupiditatum affectuum, actionum, perturbationum varietas, quam aegre ratio ac vis mentis, nisi caelesti doctrina stabiliter atque inconcussa sit fulta, domare potest ac reprimere: Vbi enim naturalis vitalisque facultas una

tas vna cum insitis spiritibus inualescunt, atque ex
 alimentorum quum copia, tum qualitate vires col-
 legerunt, rationis frenum excutiunt, ac spiritum a-
 nimalem (nam omnes ex vno fonte promanant) in
 suam factionem pertrahunt. Quo euenit vt sube-
 unte cogitatione aliqua noxia, in luxum, in libidi-
 nem, in obscenas pudendasque voluptates homo
 proruat; vtque conspecta lasciuia aliqua blandaque
 adolescentula, & cui aliquid venustatis inest, mens
 inardescat in illicitum amorem; atque ex affluxu
 humorum, concursuque spirituum qui ex toto cor-
 pore eo confluunt, indecore inguen turgescat, ac
 mentula efficiatur rigida, sic vt aliquando virilem a-
 nimum expugnari contingat, nisi Dei fiducia ac ex-
 lesti doctrina fultus, vitiosis cupiditatibus acriter
 obsistat. Insita est menti hæc ad malum procliuitas
 & inclinatio, *Ipsæ sensus & cogitatio, vt Moses ait, ad
 prauitatem prona est ab incunabilis.* Sed hanc labem exe-
 mit optatissimus Christi aduentus, qui cladem, ac
 calamitatem quam Adæ lapsus nobis inuexit, morte
 ac resurrectione sua sustulit. Quæ cogitatio hoc in
 animis hominum efficere debet, vt quoniam spiri-
 tus ad vitia ac virtutes sint incitamento, omnibus
 modis illorum conseruationi quisque insistat. Et
 nunquam spiritus animalis sit cæteris præstantior, ac
 dignitate prior, ordine tamen est posterior. Siqui-
 dem ex naturali qui vaporem æmulatur, atque ex
 sanguine virtute hepatis promanat, vitalem qui æ-
 reæ naturæ est, profert, illique fomenta ministrat.
 vitalis vero animalem procreat, qui tenuitatis ac
 subtilitatis ratione æthereus existit. Is enim in con-
 textu reticulari ac cerebri sinuosis anfractibus ela-
 boratus, odoribus rebusque suaue olentibus alitur
 ac recreatur, auraque salubri fomentum accipit: ab
 hoc omnis vis ac facultas, quam anima abs se depro-
 mit, & a qua omnes actiones procedunt, proficisci-

*Unde in
corpore re-
bellio.*

*Unde pra-
ua cogita-
tio.*

*Christus
quid homi-
ni corales*

Genes. 6.3

*Animals
spiritus
functio.*

*Spiritus
ut se per
corpus dif-
fundat.*

*Simile a
vitro, &
candente
ferro.*

12. Meth.

*A flatibus
externis
simile,*

*Crassus spi-
ritus quid
efficiat.*

tur, eumque omnibus functionibus accommodat: merito itaque censetur spiritus hic animalis proprium animæ instrumentum ad sensus omnes, ad motum, atque agilitatem, ad musculorum nervorumque robur ac firmitatem tuendam: vires enim suas tanquam actionum opifices in nervos qui sentiendi mouendique potestati pollent, deuehit. Omnia itaque sensuum instrumenta spiritus animalis vi ac munere imbuta, ad obeunda munia stabilitatē consequuntur; argumento quod affectis obstructifque viis per quas is spiritus deferri debet, mouendi ac sentiendi potestas adimatur: quod in apoplexia, paralyfi, tetano, multisque aliis morbis obseruamus: defertur autem in nervos spiritus animalis, vt radii solares per vitrum pellucidum. Et quemadmodum calor ignitus in candens ferrum penetrat, ac se diffundit, quamlibet durum sit, adeo vt mollescat, ac fiat tractabile: ita spiritus qui tenuissimus est, in nervos illabitur. Quæcunque itaque sensu motuq. atq. agilitate indigent, spiritus animalis vim exposcunt: quæ vero nutriri atque adulescere, vitamq. alimentis fulcire, naturalem vitalemque facultatem ac spiritus exigunt. Quocirca qui spiritus illasos tueri velit, ac quam maxime synceros efficere, optimum corporis habitum moliri studeat: *Est enim, Galeno teste, singulare presidium ad naturales facultates conseruandas, fouendosq. spiritus temperamenti custodia.* Vt enim externi flatus ventorumq. concursus ac turbines corpora nostra multifariam afficiunt, ac non solum hominibus, sed animantibus etiam, satis, messi. triticæ damna inferunt vel immodica humiditate, vel siccitate nimia, deniq. penetrabili frigore, vrentiq. calore: sic insiti nobis spiritus vel copia, vel qualitate multiplices perturbaciones pariunt, ac corporis animiq. statum manifesto immutant. Vbi enim crassi existunt spiritus, densiq. ac frigidi, mentem obnubilari

lari contingit, atque ut solem offusa caligine, minus elucere. Quo fit ut iis ingenium sit hebetius, magisque obtusa mentis acies. Quale nobis specimen exhibet, qui ad polum Arcticum, ac mare glaciale devergunt, quorum potissima pars vasto validoque corpore existunt, at nullo acumine ingenii ac praestanti doctrina, quamquam haec natio singulari prudentia sereniss. Sueciae Regis Erici, humanitate exulta, mitigati animi indicia nunc proferat. Qui vero moderata frigiditate imbutos habent spiritus, constantes sunt ac stabiles in obeundis rebus, animoque obfirmato quidvis aggrediuntur, sic ut non facile a concepta opinione resiliant; verum ob frigiditatem ac calorem languidum nisi accedat educationis industria, qua iam olim expoliri coeperunt, non admodum acuti sunt, aut emunctae naris, nec denique callidi atque astuti, tum qui in circumveniendis hostibus nihil agant subdole & versute. Quibus vero vel ex regionis conditione, vel calis qualitate humidus subest spiritus, modo is moderatus sit, facilem & expeditam formarum susceptionem reddit, sed fluxam ac cito perituram: neque enim facile figura, formaque rei, ut nec cerae fluxae aut fluidae imprimi potest. Itaque obliuiosi sunt, somnolenti, artibus discendis inepti, ingenio stupido, minimeque sagaci, & quum corpore obeso sint atque humido, memoria minus valent; quod ipsum etiam in vehementi siccitate statui debet. Quo fit ut senes ob siccitatem frigiditati coniunctam, obliuiosi existant, pueri ob humiditatem immodicam. Quae qualitates meticulosos etiam homines efficiunt, atque trepidantes, qui minus audaciae habeant in propulsandis ferendisque adversis, quod muliebri quoque sexui peculiare. Verum cuiusque regionis conditionem ac naturam, quam imitari populares solent, immutat educatio, institutio, disciplina: sic ut promiscua multitudo incultis

Erici Sueciae Regis laus.

Sueci.

Germi.

Batani.

Hollandi cur somnolenti & obliuiosi.

Senes & pueri cur obliuiosi.

Educatio naturam immutat.

*Mattiaci
seu Zelan-
di.*

*Natura
maritimo-
rum.*

*Flandri.
Brabanti.*

Itali.

*Itali quor
iniuriarū
tenacos.*

moribus conspiciatur, quum viri politici, & qui ex patriciis sunt prognati, immutata victus ratione, relictaque veteri, atque inolita consuetudine optimum viuendi institutum asciscant, ac se suosque ad laudabiles mores componant. Quod si humiditas modico calore tepescat, vt iis qui loca incolunt plana, aprica, patentia, paucisq; arboribus confita, quales sunt Mattiaci Belgæ, qui hibernis mēsis frigore; æstiuus, ardore plerunque infestantur, vt corpora fortiuntur robusta, laboribus assueta, membra articulata, cutem hispidam: ita animum pertinacem obtinent, obstinatum, iracundum, magisque ferocem quam benignum: cæterum acri sunt iudicio, prudentique industria, ac negotiandi peritia mire instructi, & qui rebus delectum adhibeant. Cæteri Belgæ, quibus arbores præbent vmbacula, ac ventos arcent, quique cælum habent solubrius, terram fluminibus scatentem, agros aquarum dulcium ductu atque irrigatione fœcundos, mitiori sunt ingenio, minusq; aspero, sed alii aliis prudentiores, atque ad res gerendas magis apti. Sic Flandri grauitate dicendi, atq; inuentionis subtilitate pollent. Brabantii exclusa seueritate, hilaritate animi ac morum comitate animos hominum conciliant; quanquam illi facilitate sermonis ac verborum lenocinio grauitatem condire soleant. Quod si pectori ac cerebro incumbit spiritus calore humoreque temperato perfusus, ii qui illius munere potiuntur, in rebus gerendis vigilēs sunt, acres, industrii, & qui sagacitate, acumine ingenii, naturæ solertia, præstantia doctrine, dicendi peritia, atque vbertate cæteris præstant, denique memoria rerum præteritarum tenaci sunt ac firma, quæque non facile effluat, aut exolescat. Ita si qua illata sit iniuria, post multos annos reuiuiscit, nec mens vindictæ auida priuatam offensionem obliterari patitur. Quem affectum calori adscribo, quo
animus

animus indignatione ita exulceratur, ut eum humor diluere nequeat, aut extinguere. Adeo enim impotenter modo tacite inisque praecordiis, modo aperte eorum plerisque feruet animus:

Sic illis calido pectore mascula bilis

Pers. sat. 5.

Turgescit, quam non extinxerit urna cicuta.

Britanni.

In horum confinio consistunt, ac proxime accedunt, sed aliquo interuallo Britanni, quibus quum languidior sit calor, minusque feruidus, atque ab humiditate superetur, statura quidem sunt decenti, corpore succulento ac vegeto; verum humanitatis studiis minus dediti, ac politioribus literis minus exculti, qui tamen si animum, ut coeptum est, praclaris rebus applicare pergant, ad res gerendas efficiuntur apti, ad perdiscendas artes appositi. Et quoniam spiritus habent crassiores calore modico perfusos, acres habent iras, motus stabiles ac diuturnos, quo fit ut implacabiles sint, atque aegre animum excelsum atque elatum nisi obsequiis officiosis expugnari sinant. Quod si spiritus ex feruore cordis, atque aeris regionisque qualitate impense calidus sit, feruidos celeresque motus edit, sed qui ob tenuitatem sensim deferuescant. Quo fit ut ubi eorum nonnullis incallescit animus, temere atque inconsulte quiduis aggreantur, nec cessent quin quod animo conceperunt, perficiant. Ita si qua subit animum conficiendae rei cogitatio, ut inter initio aegre excutitur: ita mens nonnunquam instabilis est & inquieta, nisi rationis freno coerceatur;

Britanni &

Scotti acres

habent iras.

Hispani.

Sic animum nunc huc celerem nunc dividit illuc,

Virg. lib 4

In partesque rapit varias, perque omnia versat.

Aeneid.

Quod etiam plerumque usu venire solet iratis & vindictae cupidis, tum iis qui furore vel amoris stimulis agitantur; quorum mens, quoniam aestu quodam fluctuat, ac paulo momento hinc inde impellitur, non sibi constant, nec certi fixique aliquid in

*Hispani
ingeniosi*

Galli.

*Galli in-
genio ver-
satili.*

*Vnde er-
ror mētis.*

finiendis consiliis statuunt. Qui vero ex iis se ad
consectandas artes conferunt, quamlibet difficiles
atque operosas, strenue nec sine laude in his versan-
tur: quibus vero spiritus tenuis existit temperato ca-
lore imbutus, acre iis ingenium ac volubile, expedi-
ta ac profluens in dicendo celeritas: quibus & illarum
naturæ dotes accedunt, ut ad excogitandum sint a-
cuti, ad explicandum ornandumque vberes ac co-
piosi; ad eloquendum exprimendumque quæ mente
conceperint, prompti: quod autem ad animum mo-
rumque propensiones attinet, vividi sunt, alacres, e-
recti, agiles, gesticulosi: plerique eorum quibus libe-
ralis deest educatio, ac doctrinæ institutio, ingenio
sunt mobili, captioso, fallaci, infido, rerum novarum
avidus, loquacitate futili ac vana; in consiliis captan-
dis callidi ac versuti; adeo, ut quæ mentis impetus
concepit, confestim quid statuendum sit, intelli-
gant, ac mature perficere pergant: obiter ubi inten-
derint ingenium, ibi valet. Quum itaque spirituum
diuersitas, atque ingeniorum morumque discrimina ex
loci, aëris, regionis, alimentorum conditione ac na-
tura orientur, quisque secum ipse expendat, qua re
incolumitati prospicere optime possit, eaque decli-
net quibus aliquid subest vitii, & quæ cum valetu-
dini, tum spiritibus officere, atque aliquid labis aut
contagii adferre possint. Quocirca optima institu-
enda victus vitæque ratio, atque aëris salubritas cum
primis captanda. Hæc enim sanitatem etiam incli-
natam ac labantem erigunt, ac spiritus maxime syn-
ceros efficiunt. Siquidem si corpus vitiosis humori-
bus redundat, si spiritus impuri sint, & cerebrum
densis fumis, quos humores appellant, oppletum, &
corpus & anima detrimenta percipiunt. Hinc tanta
in animis hominum deliratio, tantusque mentis er-
ror, alienatio, stupor, desipientia, furor, dementia;
ut ea quæ sensui exposita non sunt, videre se putent,
eaque

eaque audire quæ nemo est eloquutus. Siquidem imaginatio iis corrumpitur; sensus communis quæ diiudicat & discernit omnia, detrimentum percipit; memoria labascit, hebescit visus, caligant oculi, omnesq. animæ facultates, hoc est, insitæ vires quibus sua munia exequitur, languescunt, suisq. officiis officitanter perfunguntur. Si vero spiritus animalis ad amissim purus est, atque æthereus, qualis est halitus exacte elaborati sanguinis, non solum pellucida est oculorum acies, sed omnes sensus tum externi, tum interni vigent, ac functiones suas inculpate perficiunt.

De spiritu qui toti mundo, eiusq. partibus insitus est, quiq. in hominem diuinitus delapsus, mentem eius peculiari munere imbuit. Obiter de bonis malisq. genis qui humoribus spiritibusq. immixti, varias mutationes humanis animis inferunt.

CAP. III.

Spiritus vis quæ diuinitus in hæc inferiora delapsa, hanc machinam, mundique molem agitatur, & quæcunque ambitu cæliq. complexu coërcentur, fouet ac vegetat, in immensum se porrigit, ac longe lateque diffusa est. Hæc siquidem regit ac moderatur omnia, cunctaq. foecunda efficit, ac vitali calore imbuit. Nec est quod quisquam opinetur aut sibi persuadeat vllam esse vim aliam, quæ ista perficiat, quam spiritum illum, quo ab ipso rerum conditarum exordio mundus, quæq. oculis nostris obuia sunt, ac sensib. exposita, tam concinnū ac decentē ornatum adepti sunt: *Verbo enim Domini omnia formata sunt, ac spiritu oris eius omnis decor, species, venustas, atq. ornatus eorum. Ipse siquidem fouet, ac vegeta quæq. præstat, eamq. vim cōfert, qua propagare se, ac cōtinua serie omnis generis species proferre, tueri ac cōseruare possint. Sic immēsus naturæ opifex, reb⁹ creatis verbo ac spiritu suo vim procreatricē indidit,*

*Spiritus
naturæ.*

*Spiritus
Domini.*

Psalms. 32.

Genes. 1.

Iohan. 1.

*Spiritus
aquis in-
cumbere
quid sit.*

Hexa. lib.

*Simile a
gallina
qua pullos
fouet.
Genes. I.*

*Lib. 3. De
arte amā-
di.*

ac propagandi ordinem in seuit, quo posteritati ac
successioni insistant, hoc est, spiritus diuinus in vni-
uersam creaturam diffusus, stirpes, animantes, ho-
mines sustentat, illisque vim impertit qua subsistat.
Itaque nihil est in tanta rerum vniuersitate, quod ef-
ficacem Dei vim non percipiat, eiusque vbertate nō
saturetur. Condito siquidem cælo ac terra, primis-
que elementis, hoc est, rerum principiis constitutis,
Spiritus diuinus iam inde ab initio ferebatur super a-
quas, hoc est, liquidam materiam alioqui effœtam,
fœcundam præstitit. Cuius dicti sensum graphice
expressit Basilius cognomento Magnus: *Spiritus Dei
ferebatur super aqua superficiem*, hoc est, fouebat, vita-
lemque fœcunditatem, atque animam vegetantem
elemento liquido, ac omnibus rebus creatis con-
tulit, sic vt spiritu cælesti omnia essent perfusa ac
concalescerent incubantis alitis more, fouentisque
aquis specie atque effigie, quæ vim caloremque vita-
lem illi imprimit, cui insidet atque incumbit. Cu-
ius rei exemplum a gallina sumere licet, quæ oua a-
nimat, vitæque imbuit, atque animalculi figuram in-
ducit. Quod itaque spiritus innatare aquis dicitur,
aut elemento liquido incumbere, de fœcunditate
illi indita intelligi debet. Cæterum quum vniuersa
rerum natura, quæque spirant atque existunt, diui-
ni spiritus munere potiantur, illiusque virtute sub-
sistant, tum homines præcipua ac singulari præroga-
tione omnia sunt consequuti, *atque animos habent ex æ-
terna mente*, vt Cicero ait, *delibatos*, vel potius, vt
Scripturæ testimonium proferam, *acceperunt spiracu-
lum vitæ*, atque imaginem ex Diuinitatis archetypo
descriptam. Haussit huius dogmatis ex Hebræorum
fontibus tenuem auram, idque expressit his nume-
ris Ouidius;

*Est Deus in nobis, sicut & commercia cæli,
Sedibus ætheris spiritus ille venit.*

Est

*Est Deus in nobis: agitante calefcimus illo,
Impetus hic sacrae semina mentis habet.*

*Lib. 6.
Fastor.*

Quam sententiam Diuus Paulus sacratiore phi-
losophia imbutus, Atheniensibus persuasam esse
voluit, quo inueteratum autumque errorem illis
eximeret; atque ex illustri mundi spectaculo, appa-
ratu ornatuque visendo, in quo Deus diuinitatis suæ
specimen cunctis exhibet, & conspici posset & in-
notescere. Sic enim apud illos concionatur: *Deus Actor. 17.*
*qui fecit mundum, quæq; illius ambitu continentur, ac sit celi
terræq; Dominus, non in manufactis templis habitat, nec ho-
minum manibus colitur, ullius opibus indigus, quum ipse det
vitam, atq; halitum omnibus, omniaq; conferat. Per ipsum
enim viuimus, mouemur, ac subsistimus, sicut & quidam ve-
stratum poetarum indicat: nam huius progenies etiam sumus.*
*Aratus in
Phænom.*
Cæterum quum homo tantis dotibus sit excultus,
eaque munera mentis ab opifice sit consequutus, vt
primum naturali insitoque spiritu, deinde diuino
afflatu incitetur, tum externi quoque spiritus in cor-
pus mentemque insiliunt. Veteres genios, Biblio *Genii.*
rum codices ex ministerio Angelos, hoc est, inter-
nuncios vocant, quod Dei iussa ac voluntatem ad *Hebr. 1.*
nos deferant. Paulus Spiritus nominat, *Administra-
tores*, vt qui certis officiis destinantur, ac delegatum
munus obeant apud illos qui salutem sint adepti.
Cicero, tum alii a religione alieni, *Lares familiares, ac Laras.*
domesticos Penates, deosq; tutelares, vocant. Horum duo
constituuntur genera; quorum alterum boni, alte-
rum mali nomine designant, quod illi ad honesta *Boni Go-
nii.*
quæque, atque ad res salutares instigent, ad ea quæ *Mali Go-
nii seu Lo-
mures.*
sunt incitamento, quæ homini prodesse possunt, at-
que ad salutem conferunt. Isti ad improbitatem, ad *Simile a
pestifero
halitu.*
dedecus, ad funesta quæque sollicitant. Hoc enim
potissime meditantur, vt hominem omnibus malis
inuoluant, ac longissime a Deo auertant. Quum
autem sint spiritus incorporei, vt grauis halitus, vtq;

- aura insalubris ac noxia, in corpus latenter irrepunt; ac non solum faces ministrant, incitantq. ad patrandam scelera, sed vt pessimi consultores, impunitatem ac præmia pollicentur. Sic Adamum in errorem pertraxit versutus serpens, quum inquit; *Non moriemini, sed eritis vt Dii, boni maliq. consci, atq. omnium rerum scientia ac cognitione imbuti.* Est autem Dæmon (nam hinc nomen sortitur) calliditate insidiosa, mille dolis ac technis, mille nocendi artibus instructus; *qui se in mentes nostras, cogitationes, consilia, voluntates, tacite insinuare nititur*, quamquam id agre perficere potest; cum Deus solus corda hominum explorata habeat, cui vni omnia nostra exposita sunt & aperta. *Ipsè enim, vt Paulus ait, discretor est cogitationum atq. intentionis cordis. Nec est vlla creatura, qua non manifesta sit in conspectu illius, sed omnia nuda ac resupinata oculis eius.* Quod *Psalm. 7.* Dauid quoque indicat: *Scrutator cordis ac renum Deus;* hoc est, omnia perspecta habet, abditos quosque recessus penetrat. Exemplo sumpto a remotissimis longeque diffitis visceribus: nihil enim corde ac renibus magis intimum, adeo vt per multos meatus, atque incuruos anfractus deferri elaborati cibi debeant, antequam eo possint perducì: tum etiam illas potissime partes indicat, quod ex iis præcipue pullulare soleant mentis cogitata, atque effrenatæ cupiditates exoriri, quæ Deum non latent, nec abscondita sunt.
- Quomodo Damoni cogitationes patent.* Cæterum cum Dæmones spiritus sint aërii, ac longo vsu, diuinaque consuetudine, tum naturæ solertia multa perspecta habent, atque experimento comprobata, ex coniecturis, indiciis, oculis, vultu, gestibus, aliisque corporis motibus cogitationes internas eliciunt, quod etiam viro prudenti ac multarum rerum perito factu non difficile. Quocirca vt improbi ac fraudulentæ negotiatores in hominum perniciem omnia moliuntur, omnemque captant occasionem qua illos circumueniant, atque incautos impa-

Genes. 3.

Dæmon a sciendo.

2. Para. 26.

Hobr. 4.

Psalm. 7.

Simile a remotiss. visceribus.

Quomodo Damoni cogitationes patent.

Homo homini dæmonium.

impa-

imparatosque opprimant: ita Dæmones nobis insidiantur, atque infesti sunt, & quo quisque vitæ integritate ac moribus spectatior, eo acerbius in illum virus suum exacuunt. Sic Christo non fuit veritus, *Matth. 4.* nec erubuit Dæmon tentationum arietes admouere, atque ambitione, gula, regnandi cupiditate atque inani gloria illum oppugnare. Nec Paulum quoque *2. Cor. 12.* diuexare puduit, cum elatione animi, tum aduersariorum sæuitia ac crudelitate. Iob quoque miris *Iob. 30.* modis ab illo exagitatus violentos impetus perferre coactus est: verum qui omnia remuneratur ac compensat Deus, finem certamini imponit, ac sæuendi mensuram præscribit, nocendique metam constituit. Quod ipsum documento cuique esse debet, nihil aduersus nos moliri Dæmones, nec in malis inferendis progredi, nisi vel annuente, vel coniuente Domino. Cum autem multis variisque nocendi artibus homines adoriantur, atque oppugnent, tum vero omnes tentant, explorantque aditus, si qua possint ex his quæ domestica sunt ac natiua, nullique non insita, adoriri ac conficere: sic hos qui sanguine redundant, ad luxum, lasciuiam, ebrietatem, profusionem, ad obscenos nefandosque amores, ad probrosas libidines, incestus, fædosque concubitus incitant: Biliosos autem ac Cholericos ad iracundiam, ad rixas, iurgia, contentiones, conuitia, pugnas, cædes, latrocinia, seditiones, dissidia, extimulant; ad ea quæ patranda ac perficienda faces ministrant: Melancholicos ad inuidiam, æmulationem, amarulentiam, odium, indignationem, veneficium, fraudes, dolos, insidias, prodicionem, mœstitiam, desperationem, ac diffidentiam; postremo ad calamitosum funestumque exitum adigunt: Pituitosis ac phlegmate oppressis ad desidiam, atque ignauiam, torporem, veternum, inertiam, somnolentiam, incuriam, atque ad omnium virtutum neglectum sunt

*Dæmones
quatenus
noceant.*

*Humores
ad vitia
occasione
præbent.*

- Ab exte- no aere si- mile.* adiumento. Obiter ut aer tenuitate cæli temperatus vitalem ac salutarem spiritum impertit animantibus, herbisq. virentibus: sic boni genii salubrem auram aspirant, ac mentes nostras suavi afflatu reficiunt. Mali vero, ut ventus pestilens, morbos & contagia: ita illi exitiale virus exhalant atque animis hominum pestem ac perniciem adferunt: *Ab iis enim prima mali labes hominumq. ruina, atq. interitus,* sic ut opus fuerit instauratore illo mirifico nempe Christo, qui hominem pristino nitore atque integritati restitueret. Et quoniam tanta est humanæ naturæ imbecillitas, ut ægre aduersus sæuissimi hostis insidias possit subsistere, Christus Iesus subductus in cælum, Paracletum mitti curauit, qui nos fulciat, ac contra Sathanæ insultus omnesque malorum incursus reddat inuictos. Hic est qui mentes nostras variis dotibus exornat, qui de Dei voluntate nos reddit certos, ac discussa omni diffidentia per Christum ad patrem nos prouehit. Erigit enim mentes nostras, ac consolando hortandoque efficit, ut concepta fiducia, omnia ab illo sperare ac petere audeamus ac patris nomen illi opplorare. Quin & ipse spiritus, quem Deus emisit in corda nostra, attestatur vnà cum spiritu nostro, *quod eius sumus filii, & heredes, cohæredes autem Christi.* Spiritus itaque diuinus mentium instaurator fidem ac credulitatem verbo Dei fultam nobis inserit, quæ fiduciam erga illum parit, certamque spem consequendi promissa. Et quum hæ virtutes non sunt otiosæ, vberimum Charitatis operumque prouentum proferunt, ad ea quæ adminiculatur, ac vires confert Paracletus, ut stabiles ac fixos in nullos errores, aut superstitionem abduci nos contingat; quæ non aliud est teste Eusebio, *quam falsa quadam, atque eumentita veræ religionis umbra; aut fucata species, nullo fundamento nixa.* Sic ex Horatii sententia,

Maxima

*Maxima pars vatum pater & iuvenes patre digni
Decipimur specie rebus.*

In art.

Fallit enim vitium specie virtutis, & umbra,

Poet.

Quum sit triste habitu, vuluq; & veste seuerum,

Iuuenal.

Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus.

Satyr. 14

Fit enim plerumque Cicerone teste, ut nonnulli
optima consecrati non tam voluntate, quam cursus errore fal-
lantur. Sic Paulus Iudæos non prorsus a pietate alie-
nos censet, verum aliquo duci studio, zeloque Dei,
sed absque iudicio; ita non omnino errent in affectu
pietatis, sed propter inscitiam; & quod in delectu
hallucinantur, ac cæcutiunt, spiritui De destituti
sunt. Cui vitio affines sunt qui inueteratos errores
pertinaciter vel tuentur, vel tolerant, nec sustinent
quidquam immutari eorum quæ irrepserunt: qui si
imbuti essent spiritu illo munifico, non esset tanta
in animis opinionum ac doctrinæ dissensio. Cæterū
nemo hæc parerga esse existimet, atque ab instituto
aliena, nec in illud Horatii impingat;

Tuscul. 3.

Rom. 10.

*Zelus abs-
que iudi-
cio.*

— *Amphora cœpit*

In arte

Institui, currente rota cur vrceus exit?

Poet.

Quum spiritus cælestis mentis innouator, dux
sit ac moderator spirituum humani corporis, qui se-
datiores existunt ac magis placidi, vbi hoc ductore
reguntur, atque in officio continentur. Si enim tu-
multuari pergant, ac seditionem in corpore conci-
tare,

Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.

Aeneid.

lib. 1.

*De corporis humani elementis, primisq; qualitatibus, ac ge-
nerationis principis, ex quibus homo constat,
ac conflatus est.*

C A P. IIII.

AB elementorum, non humorum facultatibus o-
mnis temperamenti ratio deducitur, illisque vni-

*Elementa
quatuor.*

Tuend.

vale. lib. I.

*Eibus &
aer aequo
necessari?*

*Primordia
hominis.*

*Seminis &
sanguinis
nature.*

uersam corporis structuram atque opificium acceptam ferre par est. Elementa statuuntur quatuor; Ignis, Terra, Aër, Aqua; quibus totidem subsunt qualitates; Calida, Frigida, Humida, Sicca, quæ ex circumfuso nobis aëre, atque alimentis vel commoda, vel detrimenta concipiunt; illorum enim excessu defectuque vitiantur qualitates, ac corruptela aliqua deprauatæ, innumeris morbis præbent seminaria. Cæterum quæ corpus nostrum afficiunt, ea teste Galeno, sunt genere duplicia; altera nobis congenita, & quæ euitare nequeas, ex ipsis generationis principiis velut radice orta; altera, quæ & declinare posses, & aliena sunt a corporibus nostris, non insita, sed aduentitia atq. externa, quæ tamen non minus, quam insita, corpus nostrum conficere atq. infestare sunt idonea, Cibus scilicet & Potus, quibus restitimus quicquid siccioris vel humidioris substantiæ effluxit; quæ tamen si immodica sint, aut vitiosa, excrementorum copiam ac morbos pariunt. His proxime accedit aër nos ambiens; qui vbi impense calidus est, vel siccus, aut immodice humidus vel frigidus, manifestò habitum corporis immutat. Cæterum vt propius, magisque apposite rem ipsam designem, humanæ naturæ primordia, ac generationis principia sanguis maternus, semenque genitale existant: ille ceu materies quædam apta concinnaque, & opifici, vt argilla vda, ceraque fluxa ac tractabilis, ad quiduis effingendum sequax: semen opificis rationem obtinet. Constat horum vtrumq. ex iisdem genere elementis, ac qualitates iam memoratas in se complectitur; dissident tamen inter se temperamenti ratione ac mensura. Siquidem in semine plus est igneæ substantiæ atq. aëreæ, hoc est, ætherei spiritus est particeps: in sanguine plus aqueæ & terreæ: quamquam in postremo hæc calidum præpolleat frigido, humidum sicco. Neque enim sanguis siccus
statui

statui potest, ut ossa, sed humidus: at semen sanguine quidem siccius est; cæterum ipsum quoque humidum fluidumq. ac fluxile. Itaq. vtrimq. ex humida substantia genituræ origo producitur, sic tamen ut ex eo reliquæ corporis partes siccæ, nerui, venæ, arteriæ, ossa, cartilagines, elaborentur. Quod enim in utero ex illis principiis conceptum ac conglobatum est, siccius redditum, veluti rudimenta ac lineamenta cuiusque membri capessit, post modum exactam speciem consequutum, incrementa concipit, atque ad iustam decentemq. magnitudinem prouehitur: ubi vero ad summum deuentum est, ossibus ob alimenti penuriam non vltra sequacibus, incrementum augmentumq. fisti contingit, nec progredi, aut amplius in longum latumq. proferri. Ex copioso enim calore & humore spiritû vndiq. perfuso corpus decorem longitudinem assequitur. Quod si cui vel ingrauescente ætate, vel etiam adolescentibus ex morbo aut affectione aliqua frigidus siccusq. habitus obtigerit, corpus iis macilentum fit, rugosum, gracile, squallidum, strigosum, membraq. inuvalida atque incurua. Simile enim quiddam iis euenit quod iumentis, quibus pabulum subducitur, atque arboribus herbisq. virentibus, quibus terræ succus subtrahitur, ac prohibetur irrigatio. Quo mihi improbe atque inhumaniter facere videntur ludimagistri quidam, & quotquot erudiendis alendisq. adolescentibus operam impendunt, qui inita quidem, ac constituta non exiguæ pecuniæ pactione, insalubri, tenuiq. victu conuictores domi alunt, ac non solum sordide tractant, sed carne subrancida, piscibus olidis, pane mucido tenuiter pastos, ad subeundos studiorum labores minaciter instigant: quo efficitur ut color eius deflorescat, corporis species, omnisq. decor & venustas aboleatur, nulla sit alacritas, nullus vigor, mētisq. erectio, spiritus deiectus, vir-

*Ab ossium
 natura lē-
 gitudo.*

*Lōgitudi-
 nis causa.*

*Simile a-
 satu.*

*Tueri non
 domandū
 inedia.*

*Vitiosus
sibus na-
turam de-
prauat.*

*Statura
breuitas
vnde.*

Senium.

*Mors
quid.*

*Cruda se-
necta vn-
de.*

tus minus viuida, indoles omnisque vis animi quæ vel naturæ beneficio, vel parentum industria, aut denique diuino munere insita, erant prorsus extincta, adeo vt non facile ad præclara ijs incalescat animus, nec emergant ad quæ erant destinati, aut natura appositi. Quod ad externum vero habitum attinet, corpus plerumque circumferunt foeda scabie deformatum, atque ob vitiosos humores pustulis vndiq; exulceratum. Quo fit vt raro ad legitimam maturitatem, ac iustam magnitudinem, ad vires ingenuas, membrorum robur ac firmitatem, ad decentem partium compositionem ac staturam deueniãt, quod in ætate tenera ac pubescenti fame atque inedia domitis humori, natiuo qui continenter foueri postulat, alimenta subtracta sint: quo fit vt exhausto succo vitali, præmature senescant, ac properata morte confici contingat. Vocatur autem hæc affectio quæ frigidum siccumque corporis statum inducit Senium, quod omnibus quum animantibus tum stirpibus corruptelæ interitusque causa existit. Est enim mors non alius, quam naturæ, hoc est caloris genuini, insitique humoris, in quibus vita consistit, extinctio: ad quam nonnulli properantius deueniunt, vel ex alimenti inopia ac defectu, vel ex intemperantia vitæ, immodica Venere, intempestiua vigilia, mœrore animi, tum plerisque aliis quæ præter ætatis rationem ac naturæ cursum, festinatam senectutem, mortemque inopinatam accelerant. Quam multos autem videre est seniculos corpore vegeto ac succulento, membris validis, ingressu firmo, cruda prorsus viridique senecta, non ob aliud, quam quod vitæ suæ optime moderati sint, nec adolefcentiam intemperanter aut libidinose transegerint: quum iuuenum plerique conspiciantur effecti, elumbes, eneruati, corpore arido, colore pallido atque exanguis, quod tota pubestas, ac iuuenilis

virtus

virtus immoderato vitæ Venerisque vsu & consue-
tudine sit exhausta, ac flos ætatis attritus. Vt enim
flores Martii, quibus ineunte vere nihil spectatius,
Aquilonio vrentique vento decussi, marcescunt; sic
omnis iuuentus & florens ætas accepto incom-
modo, intempestiue atque ante maturitatem are-
scit. Quocirca vt quis noxia euitare possit, ac vitam
quam maxime longam efficere, tum senectutem
consequi minus grauem atque onerosam, ineunda
ratio, qua valetudo firma perfici possit, ac stabilis;
aut si inclinata sit, qua erigi possit atque instaurari.
Sunt autem non parum multa, quæ illam labefa-
ctant ac subruunt, quæque ingenitum nobis tempe-
ramentum conuellunt, variant, alterant, corrup-
punt. Siquidem ex alimentorum facultatibus, vi-
ctusque ratione humores diuersas qualitates ascen-
dunt; quibus accedunt balnea, æstus, exercitatio, fri-
gus, lassitudo, sitis, inedia, somnus, quies, aëris status,
affectusque animi, quæ corporis nostri habitum mul-
tifariam immutant, ac magna ex parte in deteriore
rapiunt. Sic corpus quod calidum humidumque exti-
tuit, in frigidum ac siccum, vel etiam aliam qualita-
tem sensim delabatur: ætatis quoque accessu, tempo-
ris decursu, rebus secundis vel aduersis, fortunæ suc-
cessu vel inclinatione multa homini obueniunt, quæ
valetudinem labefactant. Quo mihi apposite dixisse
visus est Horatius;

Multa ferunt anni venientes commoda secum,

Multa recedentes adimunt. —

Cui consentanea est illa Iobi sententia, qua na-
turæ humanæ conditionem fragilem, fugacem, ina-
nem, momentaneam, multisque incommodis, peri-
culis, mutationibus obnoxiam graphice expressit;
*Homo natus e muliere, breuis æui est, ac plenus miserie, qui
quasi flos spectatissimus, exoritur, sed conteritur, atque eua-
nescit velut umbra, nec unquam in eodem statu persistit.*

C

*A floribus
simile.*

*Iuuentus
unde effæ-
ta.*

*Quæ va-
letudini
officiunt.*

*In arte
Poetica.*

Cap. 14.

Singulis enim ætatibus, hoc est, certis annorum interuallis ac spatiis mutationes incidunt. Est autem *Quidam.* *Ætas* vitæ curriculum ac decursus, vel ab infantia ad senectutē progressus, in quo constitutio corporis humani immutatur, atque aliud ex alio temperamentum acquirit, quod ipsum postremo ad interitum deurgit calore nativo extincto. Sic Infantia, quæ omnium humidissima est, plurimum caloris innati continet, quarto anno aut septimo mutationem sustinet, ac plerumque iis annis periclitamur. Huic proxime succedit Pueritia, quæ ad annum plus minus decimum quintum producit, ac non parum multis incommodis diuexatur: Pubertas vero quæ & ipsa plurimis malis exposita est, anno decimo octauo perficitur: Adoleſcentia autem præcepta ac lubrica, anni quinti & vigesimi termino includitur, quæ ætas partes quatuor complexa, primam ætatem conficit, quarum nullam non varias mutationum vices subire quotidiana experimenta commonstrat. Porro Iuuentus, seu ætas florida, in qua corpus animusque viget ac florescit, ad annum quintum & tricesimum profertur, in ea quæ ætate affatim inualescit sanguis, atque humor nonnihil absimitur; quo fit vt id temperamentum progressu temporis calidum siccumq. censerī incipiat, quum adoleſcentia humore ac calore abunde fuerit perfusa. Constans vero & virilis ætas ad quinquagesimum annum, aut paulo ultra progreditur; quo tempore tempeſtiua maturitas se profert, ac mens conuersis studiis, omnia considerate, prouide, prudenter agit: corpus vero æquabiliter, atque in eodem tenore consistens non magnam mutationem percipit ad annum vsq. sexagesimum tertium aut quintum; tunc enim labentj atque inclinatae ætati iam iamque ingrauescenti frigidus & siccus status inducitur, qui primus est senii ingressus ac vestibulum; proximus autem

ad

ad decrepitam ætatem, ad mortem aditus, quæ ut non exoptanda temere, ita non pertimescenda viris Christianis, quum mens concepta fiducia suavis vitæ, ac resurrectionis spe fulta, alacriter hinc emigrandum sibi persuadeat. Interim quisq. efficere potest in huius ævi decursu, ut superioris ætatis temperantia, ac vitæ moderatione nonnihil præsidii sibi paret; aliquid pristini roboris conferuet, quo senectutem minus effœtam ac laboriosam experia- tur: quum enim omni ætati certus præscriptus terminus, tum huic nullus constituitur, nisi vitæ exitus mortisque expectatio. Cæterum Pythagoras non inscite quadripartitas anni varietates ac temporum vicissitudines, hoc est, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis discriminata tempora duobus æquinoctiis, ac totidem solstitiis comprehensa quatuor hominum ætatibus accommodat, cuius sententiam hac verborum serie complexus est Ovidius;

Ut mors non sit formidabilis.

Temporū anni & ætatū comparatio.

Meta. li. 15.

*Quid? non in species secedere quattuor annuum
Aspicis, ætatis peragentem imitamina nostræ?
Nam tener & lactens, pueriq; simillimus auro
Vere nouo est, tunc herba virens & roboris exopto
Transit in Æstatem; post Ver robustior annus,
Fitq; valens iuuenis, neq; enim robustior ætas
Ulla, nec uberior, nec quæ magis ardeat, ulla est.
Excipit Autumnus posito feruore iuuentæ
Maturus, mitiq; inter iuuenemq; senemq;
Temperie medius, sparsus quoq; tempora canis.
Inde senilis Hiems tremulo venit horrida passis
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos.*

Quæ rerum vicissitudo, ac naturæ potius conuersio, mutabilitas, inconstantia, atque ex vno in aliud inclinatio, commonstrat omnia esse momentanea, caduca, fragilia, ruinosa, fluxa, & quæ non firmis

Omnia caduca.

*Natura
abhorret
ab interi-
m.*

*Unde po-
tēda tran-
quillitas.*

Eccles. 30.

radicibus defixa, ut flosculi, cito decidant. Quum itaq. corpus continenter defluat, ac detrimenta patiat, multaque intus & foris vires nostras depopulentur, non oscitanter huius conseruationi incumbendum, quo habilis illa ac quam maxime longa effici possit. Nihil necesse est exemplis, rationibus, experimentis commonstrare (quum nulli non sit exploratum) quam grauate, animoque iniquo ac repugnante ab hac vitæ suauitate; diuelli se quisq. patiat; quanta cura, studio, industria vindicare se a morbis contendat, qui non solum doloribus nos conficiunt, contundunt ac dilacerant, sed mortis speciem oculis obiiciunt, ne his addam mentem inquietam ac turbulentam, animumq. affectibus oppressum. Cui cedo in tantis calamitatibus, ærumnis, miseriis, tantaq. æui huius molestia, ac breuitate, non parandum aliquod dolorum lenimen, non conquirenda aliqua laborum solamina atque alleuamenta? quæ si consecrari velis atque assequi, numquam in animum induxeris hæc præstare res momentaneas, opes, honores, latifundia, operosa ædificia, vestes sumptuosas atq. artificiose elaboratas; sed mentem quietam ac sedatam omnibusque perturbationibus liberam: proxime corpus salubre, nullisque morbis implicatum, quibus diuino munere nihil homini obtingere potest melius aut optabilius.

Quid Crasis seu temperamentum, in quo cuiusq. habitus, ac corporis constitutio consistit.

C A P. V.

*Tempera-
mentum
quid.*

CRASIS seu temperamentum, (nam operis instituti ratio exigit, ut id definitione explicetur) est primarum qualitarum atque elementorum inter se conuenientia; vel qualitarum ex elementis æqualis mixtura ac proportio omnis vitiosi excessus expers: *Intem-*

Intemperies vero quæ disparibus elementorum ac qualitatuum viribus continetur, atque a moderatione desciscit. Ut autem in fidibus concentus quidam percipitur, ac concors harmonia, sic ut nihil dissonum aut discrepans aures teneras feriat, offendatque: ita in temperato corporis habitu existit elementorum ac qualitatuum apta concinnaque temperatio; adeo ut monstrari nequeat vlla per se qualitas, sed constans, absoluta, perfectaque elementorum ac qualitatuum coagmentatio. Quemadmodum enim quum ex variis herbis condimenta aut pharmaca conficimus, fit vna concretio, ac singula ita coalescunt, ut nihil eorum quæ compositio complectitur, appareat, aut discerni possit, aut percipi: ita in elementorum qualitatibus euenit, ex quarum mistura primaria nascendi origo ducitur, quæ nouem temperamentorum constituit differentias; vnam temperatam, omnibusque suis numeris absolutam, in qua nihil desideratur, nec vlla qualitatuum elementarium aliam superat, sic ut æquali parique mensura inter se omnia consistant, nullo vitio, nullaque intemperie imbuta. Intemperata octo, simplices quatuor, & totidem compositæ seu iugatæ. Calida tantum, in qua calor frigori antecellit, humoris vero & siccitatis est æqualitas: Frigida, in qua frigus dominatur: Humida, quod illa primas potioresque partes obtineat: Sicca, vbi humore superior est siccitas, reliquis partibus; hoc est, calida & frigida temperatis: Compositæ vero temperatæ, quæ ex duabus qualitatibus implicatæ sunt, numerantur, Calida & humida, Calida & sicca, Frigida & humida, Frigida & sicca, a quibus corporis constitutio quam *κρᾶσις* Græci, vulgares *complexionem* vocant; appellationem apud Medicos, ac nomen elaturam adeptæ est ab eo scilicet, quod in mixtura pollet, apud quos id corpus

*Intemperies quid.
A fidibus simile.*

Simile ab herbarum mistura.

*Nouem tempera-
menta.*

*A maiore
denomina-
tio.*

calidum dicitur, in quo vberior est caliditatis portio. Siccum in quo siccitas potior; pari modo ratiocinando de reliquis. Sic medicamentorum compositio, in qua multa congeri ac coaceruari solent, ab vno eorum quod præcipuum est, nomen sortitur, vt Dianucum, Diacapper, Hiera picra, Diaphœnicum, oleum vulpinum, &c. Quo autem omnia exacte percipi queant (est enim id non modo Medicis, sed omnibus, quibus secunda valetudo curæ est, salubre cum primis ac frugiferum) singulorum rationes ac modos quam possim accurate explicabo; ac primum temperatæ naturæ conditionem exequar, aut saltem eius speciem atq. imaginem mente primum conceptam, oculis exhibeo: non quod talis in natura rerum existat, aut in aliquo demonstrari possit, (nisi quis forte diuiniorum aliquam superne originem sit nactus) sed quod huc referri debeant reliquæ hominum naturæ, atque ad hanc amissim exigi, quo cuique pateat, quid vel superet vel deficiat. Neque enim expedite quisquam animaduertent in calido corporis habitu præponderare humido calidum, ac frigidum præualere sicco, nisi ad exactam hanc temperiem sit intentus, in eamque, tanquam scopum, defigat oculos.

De temperato exactoque corporis habitu ac constitutione.

C A P. VI.

DE temperato, atque omnibus numeris absolute corporis statu dicendum accuratius, quod in hunc mentem animumq. dirigi velim, ac tanquam ad normam seu perpendiculum reliquos habitus accommodari; quo quisque obseruet, quantum a temperamenti integritate deflexerit, quid moliri debeat, vt in pristinum statum, quo ad eius fieri possit

possit, reducatur. Quanto enim quis ab hoc remotior, tanto valetudo deterior, atque ad corporis morbos, animique ægritudines lapsus grauior. Corpus hoc omnibus suis partibus consummatum, aptissime Polycleti regula dici meretur. Id enim prouerbum iis rebus accommodari solet, quæ ad vnguem facta sunt, & in quibus nihil desideratur; adeo vt ad hanc, tanquam ad lapidem Lydium reliqua debeant explorari. Desumpta est metaphora a Polycleto statuaria, cuius artificium ac decor, teste Fabio, laudem meruit supra mortales omnes: hic tanta arte statuas expressit, suisque numeris ita absoluit, vt cæteri cælatores ac statuarii in formandis effigiandisque simulacris, hunc tanquam archetypum sibi proponerent. Vfus est prouerbiali hoc schemate De tuenda valetudine Galenus, qui statuit optimum corporis habitum, tanquam Polycleti regulam, hoc est, tam concinne ac decenter expressum, vt nihil in eo culpari possit; sed mirifice afficiat congruens symmetria, nullaque sui parte claudicans commensuratio. Quæ circa quæ de statu corporis optimo conscribuntur, merito ad rem absolutissimam referri debent. Talem itaque corporis habitum exhibemus, qualem Oratorem Cicero, ac Fabius imitandum proponit, qualem Ecclesiastem seu concionatorem instituit Chrysostomus atque Erasmus, quo ad horum exemplum se componant, qui eloquentiæ parandæ, aut erudiendis rudibus sunt destinati. Et quamuis non penitus quæ animo conceperit, assequatur; aliquem tamen progressum facere par est; nec committendum quantumuis ardua sunt quæ consecutur, vt spes infringatur, aut languescat industria. Nonnulli enim, vt Cicero testatur, desperatione debilitati, experiri id metuumt quod se assequi posse diffidunt. Nam neque illud ipsum, quod est optimum,

*Polyc'e i
regula.*

*Lib. 2.
cap. 10.*

Lib. 2.

*Ad summa
maentendum.*

*De Sacer.
De ratione
concionandi.*

*De Ora-
toris.*

desperandum; & in præstantibus rebus, magna sunt ea, quæ optimis proxima. Quocirca optimum corporis habitum constituere, atque adumbrare visum est, quo illis species animo insideat, in eamq. oculis ac mente defixus talem imitari quisque, atq. exprimere curet, aut quam proxime ad illam accedere. Huic itaq. cuius specimen exhibendum suscepimus, omnes sensus vigent, atq. insitæ facultates functiones suas ac munia citra vllum incommodum obeunt. Memoria illi stabilis ac firma, quod cerebrum nec ad immodicam humiditatem, nec siccitatem declinet; animus acer & industrius, quique solerter ac provide omnia aggrediatur; mores integri atque incorrupti, & qui in nulla actione a decoro deflectant; ingenium singulare atque eximium; mens placida ac sedata, nullisque affectibus vitiosis exposita, vt quæ exclusa temeritate iudicium delectumq. adhibeat; indoles generosa, multis magnisque dotibus affatim exulta; insignis ac spectata vitæ probitas, adeo vt eo expressum sit illustre virtutis exemplar, hoc est, absoluta, atque ad summum perducta naturæ perfectio. Siquidem in eo se cumulate proferunt humanitas, mansuetudo, frugalitas, æquitas, modestia, & continens cupiditatum moderatio: in aggrediendis conficiendisq. negotiis nec præceps, nec cunctator, aut qui procrastinâdo tardius omnia perficiat; sed consilium in providendo, in peragendo maturitatem adhibeat: in casibus humanis, euentisque fortuitis quæ inopinatu ingruunt, non temere concutitur aut expauescit; eoque fit vt non insolenscat rebus prosperis, nec deiiciatur succumbatque aduersis; sed omnia vitæ incommoda alacri atque infracto animo perfert, nec a constantia susceptoque consilio abduci se patitur. Quo spectat illud Horatii, quod illi congruit;

Nota temperati corporis.

*Lib. 3.
Ode 7.*

Iustam

Iustum, & tenacem propositi virum

Non ciuium ardor praua iubentium,

Non vultus instantis tyranni

Mente quatit solida.

Si fractus illabatur orbis,

Impavidum ferient ruinae.

Ad quem habitum se composuit Diuus Paulus, ac similem affectum in iis qui Christo initiati sunt, ac deuoti, exigit; vt quod illi persuasum erat, quisque pro certo ac fixo habeat, nulla re quantumuis saeva ac formidabili diuelli posse ab eo, cui sumus addicti. Is itaque cuius speciem ac formam adumbramus, ita animo ac mente constitutus est, vt neutram in partem moueatur, aut hinc inde fluctuet, sed stabiliter atque inconcussa constantiam tueatur. Infiti sunt quidem illi affectus sed naturales, ac minime improbandi; vt amor ac propensio erga suos, quibus vt non nimis indulget, ita in illos non acerbus est, non feuerus, amarulentus, praefractus; sic vt in congressu familiari comitas seria grauitate sit condita; cui nulla subest dicacitas, nulli dentati sales, non indecora parumque urbana festiuitas, aut obscœnæ facetiæ; & quemadmodum a scurrili iocō ac scenico gestu longissime abest; ita a Censoria seueritate, ac Stoica indolentia remotissimus. Quis enim non illos ab omni humanitate, ac cultiore vita alienos censeat?

Roman. 8.

Naturales affectus.

Quos non ulla magis sermonum gratia mollit,

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Aeneid. lib. 4.

Similiter & moribus & vitæ instituto Democrito atq. Heraclito prorsus dissimilis, quorum vterq. Satyrica dicacitate exagitur. Siquidem,

— perpetuo risu pulmonem agitare solebat

Democritus, quoties a limine mouerat vnum

Protuleratq; pedem: fleuit contrarius alter.

Iuuenal. Sat. 10.

Nec solum in animo elucent, atque expressisse se

*Democriti
& Hera-
cliti na-
tura.*

*Spadix co-
lor qui.*

*Facilius
incessus.*

proferunt hæc ornamenta, ac naturæ munera; sed
insigne quoque decus enitet, atque amplitudo in
externa corporis specie se profert. Siquidem in vul-
tu, qui imago est animi; in oculis, qui mentis indi-
ces; colore, lineamentis, totoque corporis habitu
heroica quædam dignitas, ac spectabilis forma se ex-
hibet nulli non amabilis ac gratiosa; sic ut conspectus
ipse quemque alliciat, ac sympathia quadam, hoc est,
tacito naturæ consensu, nulla emolumentis spe, in a-
morem sui rapiat. Corpus decenter & concinne
compositum est, omniumque partium absoluta
constructio. Caput non obliquum aut angulosum,
sed in globi figuram rotundum, quod capillorum
honesti spadices, qui color castanearum proprius est,
exornant: frons serena, nullisque rugis deformata,
quam superciliarum decor commendat, atque ocu-
lorum eminentium amabilis aspectus cohonestat.
Color floridus ac suavis; buccæ ac genæ roseo ruben-
tique, ac natio pigmento perfusæ, præsertim ubi
adolescit ætas. Status corporis erectus, incessus de-
center compositus, non affectatus, ut personatis qui-
busdam histrionibus, qui ementito quodam atque
exotico ingressu se plebi ostentant, quo maior acce-
dat autoritas ac veneratio. Lingua expedita ac
prompta, quæ articulate & significanter verba enun-
ciet. Accedunt præter hæc non parum multa, quæ
ex necessitate, atque humanæ naturæ conditione
consequuntur. Siquidem edit bibitque moderate,
atque adhibita salubri exercitatione, quæ vel viua
intentaque voce, vel ambulatione perficitur; alimen-
ta probe concoquit, atque in habitum corporis di-
gerit; quo fit ut per exigua coaceruetur excremen-
torum redundantia; ac somnus succedat placidus,
nullisque absurdis aut tumultuosis insomniis inter-
ruptus; & si qua species aut simulacra antelucano
peractaque concoctione atque elaboratis cibus, men-
ti se

ti se ingerunt, aliqua subest diuinitio, hoc est, rerum futurarum non vanum, nec inane praesagium. Ceterum in hac fragili vita ac caduca, tantoque naturae lapsu atque inclinatione, non video cui ista aptius accommodari debeant, quam Christo, de quo vaticinatus David; *Speciosus, inquit forma praefiliis hominum,* suauitate ac gratia verborum vndique perfusus est, nec est vllus hominum, qui illi conferri possit. Is siquidem supra reliquos mortales omni virtutum genere cumularus, integritate vitae, morum probitate, excellentia doctrinae, miraculorum prodigiis, diuinitate inaudita, maximam orbis partem in sui admirationem, atque amorem pertraxit: sic nihil ei defuit eorum quae aut excogitari possunt, aut mente concipi. Cui corpus etiam obtigisse spectabile ac visenda specie, quis posset ambire? Et quamquam in illo spectanda potius diuinitas, & in quem usum nobis exhibitus est, nihil tamen verat eam formam ac corporis speciem animo complecti, quae digna fuit illius maiestate atque amplitudine. Erat enim externus habitus ac statura heroica apposita ad dignitatem, ac diuinitati omnibusque internis animi dotibus, quas opulenter in nos effudit, consentanea. Quocirca vnus hic statui debet, in quem exacta hominis constitutio sit referenda, seu corpus, seu animum spectes. *In eo siquidem, vt Paulus ait, omnes thesauri scientiae ac sapientiae reconditi sunt,* atque inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et quamquam ab illo humani nihil alienum esset, *Nulla tamen labes, nihil vitii illi inhaesit, nec morbo, aut peccato fuit obnoxius.* Nam quod subinde incanduisset legitur, ac vitia insectatus acerbius, tum lacrymis perfusus indoluisset, ac fremitu testatus facti alicuius indignitatem, summamque humanitatis, atque ex animo bene cupientis argumentum erat: cum enim salutis humanae vnice esset auidus, indignabatur complures, quos emendatos,

Psal. 44.

Christus
exemplar
perfectio-
nis.

Iohan. 1.

Coloss. 2.

Hebr. 4.

Iohan. 11.

Christus a non extinctos voluit, tam pertinaciter in errore per-
vitiosis af- sistere, ac tam opportune oblatam resipiscendi oc-
fectibus a- casionem aspernari ac respuere. Hæc de corporis
uenus. humani absoluto habitu dicta sufficient; cui flore-
 scens ætas atque adulta confinis ac finitima, præfer-
 tim ubi a primis annis laudabiliter instituta est, & li-
 beralis accesserit educatio, quæ tamen continenter
 labitur, ac progressu ætatis deficit. Ut enim in rebus
 aliis, ita in humana natura, omnia orta occidunt, &
 aucta senescunt, atque ab initio ad finem progressa,
 decurso vitæ spatio dilabuntur, ac vergunt ad interi-
 tum. Quæ mutabilitas atque inconstantia quemq-
 nostrum commonefacit, ut neglectis rebus caducis
 ac breui interituris, ad ea quæ æterna sunt animum,
 mentemq. erigamus. Quod ipsum Paulus nobis in-
 culcat, quum inquit; *Si consurrexistis unâ cum Christo, su-*
perna querite, ubi Christus Deo dexter assidet; superna cura-
te, non terrestria. Neque enim habemus hic manentem civi-
tatem, hoc est, sedes fixas ac stabiles, aut diuturnitate
confirmatas, sed futuram inquirimus, cuius opifex &
conditor Deus; qui ut Petrus ait, vocavit nos e tene-
bris in admirabilem suam lucem, atque eternitati nos desti-
navit.

De Calido corporis statu.

C A P. VII.

Calidus
habitus.

INter hos qui a modo delapsi sunt, atque a tempe-
 rie deflexerunt, calidus corporis habitus primus
 statuitur. Hic enim ut ordine prior, ita in conseruan-
 da sanitatis ratione cæteris potior. Censetur autem
 is potissime calidi nomine, in quo reliquis modera-
 te constitutis, hoc est, humido & sicco temperatis,
 qualitas illa exuperat. Cuius si conditionem explo-
 rare libeat, eiusq. notas ac signa obseruare, depre-
 hendes huiusmodi constitutionis hominem, statura
 decenti, ac specie formaq. ad dignitatem virilem ap-
 posita;

posita; corpore non obeso, nec abdomine, multoque adipe; sed mediocri carne, eaque solida, constipata: nam calore pingua quæque liquefcunt, ac defluunt: colore vero rubicundo, aut si sanguis plus satis feruescit, vt iis affolet qui loca æstuosa incolunt ac torrida, fusco vel rufo. Sunt enim in quolibet corpore pro aëris ac regionis conditione complures caliditatis gradus ac varii, quum huius qualitatis, tum aliarum modi ac rationes. Sic Indi, Æthiopes, Mauri, Asiani, Ægyptii, Palæstini, Arabes, Græci, Itali, Hispani, Sarmatæ, Germani, Galli, Belgæ diuersos sortiuntur corporis habitus, atq. in suo quiq. genere aut per singulas species, varias caliditatis differentias consequuntur. Vt enim ignita quæq. alia aliis sunt magis vrentia, ac pro subiecto fomite, vel ex carbonib. aut glebis bituminosis, naphtha, oleo, pice, resina; vel deniq. ex lignis, e quercu, robore, larice, betula, vlmō, populo, salice accensus ignis, focus incalescit modo ardētius, modo mitius: sic in quolibet corpore pro loci natura, ac victus vitæq. ratione vel augetur calor, vel imminuitur, eoq. fit vt colores hominibus existant varii, ac capilli diuersi. In omni siquidem corporis statu calido, cui moderatus humor subest, cutis pilis vndique densis obsita est, ac barba decora, sed crines paulo erumpunt diuersius, atq. alios sibi colores, pro caliditatis ratione adseiscunt. Quum autem pili generantur ex fuliginoso crassoq. excremento tertiæ concoctionis, nigri hi euadunt, si quando deusto vi caloris vapore, excrementum in exactam fuliginem mutatur. Crispi vero efficiuntur atque intorti, propter temperamenti siccitatem, quam calor immodicus infert; vel meatuum in quibus radices figunt, angustiam atque exilitatem; ægre enim cluctari possunt, aut rectam viam sibi moliri; quo fit vt inflecti contingat, atque in obliquum ferri, præsertim quibus id natium, non ascititium est, vt mulierculis quæ se-

Signa calidi corporis.

Gradus caliditatis in homine.

Simile ab ignitis.

Unde barba & capilli.

Pilorum origo.

Unde nigri pili.

Crispi capilli unde.

comunt ac poliunt, tum tortis crinibus crispantique capillo gratiosæ videri affectant. Omnes itaque qui calidas siccasque regiones incolunt, nigros atque exigui incrementi crines obtinent, tum crispas ac fragiles: vt sunt Ægyptii, Hispani, Æthiopes, Mauritanii, & quotquot natura aut conditione iis affines existunt. Siquidem in singulis regionibus etiam qui ad septentrionem ac polum arcticum vergunt, complures spectamus qui inter exteros potius, quam inquilinos videntur referendi, si crines ac colorem totiusque corporis habitum obserues. Sic inter Belgas maritimos plurimi sunt nigro crispantiq. capillo, ac cute fusca, præsertim qui æstiuis mensibus Solis ardorē perferunt, ac laboribus subeundis sunt assueti; quamquam hæc corporum varietas in multis causas referri possit, nempe vel regionis naturam, vel alimentorum vires ac facultatem, vel denique in mulieris latentes tacitasque imaginationes; quarum vis tanta est, tamque efficax, vt quæ sub ipso conceptus momento animo mentique obuersantur, in fœtum elaborentur. Quum enim is sexus lasciuus sit ac ludibundus, atque oculos in obuia quæque continenter defigat; fit, vt naturalis facultas quæ operi formando perficiendoque insistit, eo cogitationes mentisque conceptus dirigat, atque ascititiam formam infanti inducat, a parentum natura ac conditione prorsus alienam. Sic obseruatum est nostra & auorum memoria, quum Imperator Carolus eius nominis Quintus, ex Hispaniis in Belgicam instructissima classe esset delatus, ac numerosa clientela, amploq. procerum ac stipatorum apparatu has oras impleuisset, mulieres quæ passim gestabant vterū, ex crebro Hispanorum contuitu, exactis nouem mensibus, decursoque anni dodrante, infantes edidisse superciliis capillisque nigris ac crispis, tum colore illi nationi vndique assimili; non quidem triobolares ac

Vnde corporum varietas.

Imaginationis vis. Mulierum intemperantia.

Vnde Belgæ Hispanis similes.

Rei gestæ narratio.

res ac meritorias, quas genti feruida ac salaci se subiecisse credi par est, sed spectatae probitatis atque incorruptae pudicitiae matronas huiusmodi affectus in se suosque concepisse. Similiratione, quum Belgis imperaret Maximilianus Cæsar ex Pannoniis, hoc est, *Pannonia Austriaca* gente oriundus, foeminae ob Germanorum consuetudinem ac conspectum, flavis rutilisque crinibus infantes ediderunt, ac Germanis prorsus affines. Hi siquidem, & quotquot frigidam humidamque regionem occupant, graciles ac rectos rufosque pilos obtinent, ac flauentes comas, barbasque æneas, a metalli colore sortiuntur; quod pili nec a Solis calore, nec etiam interno adurantur; quippe quum humiditas copiosa sit, & transitus per meatus facilis, excrementorum abundantia quibus aluntur, efficit ut densa sit cæsaries, ac deustio qua color niger perficitur, imbecillis. Niger itaque pilus fit, quum deusto vi caloris vapore, excrementum in exactam fuliginem elaboratur. Flauus vero, quum vapor minus torrescit, quippe quod tum est impactum cuti, ac erupturum sit, flauæ bilis, non nigrae faculentum excrementum est. Albus vero pilus ex pituita humoreque frigido & humido enascitur. Rufus, sicut coloris flauis, albique est medius, sic eius generatio ex pituitosa biliosaque facis media quadam natura prouenit. Qui vero inter hos temperatum tractum colunt, hi crines plurimi incrementi & robustos, modice nigros, mediocriter crassos, tum nec prorsus crassos, nec omnino rectos edunt. Quas differentias Galenus singulis ætatibus accommodat. Ascribit enim infantium capillos, quod ad colorem spectat, Germanis; florentium ætate, Hispanis aut Mauritanis; eorum vero qui pubescunt atque in ephelis consistunt, iis qui temperatum locum inhabitant. In corporum quoque naturis ad ætatem ac regionum differentiam, pilorum ratio

*Pannonia
Austria.*

*Æneobar.
di.*

Coloris pilorum causa & differentia.

*Lib. 2. De
Temper.*

*Cur pueri
imberbes.*

*Unde ex
pilorum
copia.*

*Quid cri-
nes eliciat.*

*Arundo
Riet.*

ac discrimen se habet. Tenella enim ac puerilis ætas nuda pilis est, aut tenui tantum lanugine, quod aut nullus existat in cute meatus, per quem erumpere exhalatio possit, in pilorum augmentum, ac desit effluxus seu excrementum fuliginosum, ex quo elaborari ac deduci pilorū stamina soleant. Quum vero pubescere incipiūt, paruos atque imbecillos proferunt. At quæ florescit, ac viret ætas, valentiori efficitur capillo, tum numeroso ac nigricante, quod iam meatus ac spiracula patescere incipiant ac dilatari; denique fumida exhalatio in his partibus redundat, & generandis, producendisque pilis sunt accommodæ, vt sunt caput, mentum, alæ, pudenda; nam tametsi thorax, brachia, fœmora hirta conspiciantur in his qui impense calent, & fuliginosus vapor redundet; minus tamen copiose aut affluenter pili erumpunt, nec in vllam longitudinem porriguntur, quod in locis quibusdam aridis ac musculosis, nampe superciliis & palpebris liquido perspicere potest. Copia itaque ac densitas capillorum ex humorum redundantia atque influxu; color vero a caliditate intensiore prouenit. Omnes itaque illæ partes in corpore humano maxime hirsute sunt ac setosæ, quibus calor inest vberior: nam is vaporosos halitus qui ex humoribus emanant, allicit, atque in pilosam naturam effingit: eoque fit vt adolescentium plerique nullo sint barbæ apparatus, nec vllæ partes pilorum segete siluescant. Quocirca qui meadeunt, ac consilium captant, quo pubescant, venustaque lanugine mentum decoretur, meatus laxos efficio adhibitis iis quæ calorem in his partibus excitant, humoresque eliciunt, atque in vsum pilorum immutant ac concoquunt. Tale enim linimentum a me confici solet, quod recipit radicis arundinis, quæ Theophrasto *Donax* dicitur, Latine *aquatica canna*, radicis bryoniæ, betæ, raphani, iridis, cepæ, singulo-

singulorum partes æquales, seu trientem, hoc est, un-
 cias quatuor, ficus pingues minutatim incisas sex, a-
 dianthi, quæ vulgo capillus veneris dicitur, abrotani,
 anethi, singulorum fasciculum manualem, hoc est,
 quantum manu complecti possis, coquantur in vino
 odorifero, deinde effuso expressoque liquore, pistil-
 lo subacta per cribrum adigantur; adde butyri recen-
 tis non saliti, mellis electi singulorum sextantem,
 seu uncias duas, olei amygdalini dulcis & amari, o-
 lei sesamini unciam plus minus unam, oxymel. scyl-
 litici semunciam, farinae seminis lini, melanthii, vul-
 go nigillæ, fœnugræci cribro pollinario accurate ex-
 cussi, pugillum vnum, ladani unciam unam; hæc igni
 admota tantisper bacillo aut rudicula agitentur, dum
 in linimenti formam coalescant. Elicit enim crines
 cuicamq; etiam corpori adhibetur, ac mento malisq;
 glabris, si eo delibuta esse contingat, decoram bar-
 bam conciliat. Relaxat siquidem cutem densam,
 atque humoribus, ex quibus calor emoliri solet pi-
 lorum germina, facilem transitum perficit, ac vias
 patefacit. Quod non ætatis aut senectutis ratione,
 sed vel ex morbo, aut vitiosis humoribus, ut corpo-
 ribus morbidis, ac lue Venerea contaminatis aslo-
 let, caluitium contractum est, quibus vndique omni-
 que ex parte, etiam abditissima, crines defluunt, ut
 arboribus folia, vbi falsugine, aut venenato aliquo
 liquore radix perfusa est, præsentaneum etiam re-
 medium adfert, modo corpus a contaminatis fœdifi-
 que humoribus primum vindicetur, atque adhibitis
 purgationibus sordes internæ eluantur. Cæterum,
 ut incepta persequar, mulieres eadem qua impube-
 res ratione toto corpore glabræ sunt, ac læuore per-
 politæ, præter caput ac verticem in quo capilli affa-
 tim erumpunt ac cumulantur, quod vapores in sub-
 lime affluenter assiliant. In cæteris vero partibus pi-
 lis nudata cutis est, quod humor calorem superet.

*Ad produ-
 cendam
 barbã ro-
 medium.*

*Simile a
 falsugine
 consp*

*Mulier
 capite ca-
 pillato, non
 este.*

*Mulier cri-
vita salax.*

*Simile a
terra &
femina.*

*Unde se-
vilitas, &
generandi
impotētia.*

*Calor au-
daciā
parit.*

Est. 2.

*Lih. 17.
cap. 37.*

Quæ vero inter has prurire incipiunt ac tentigine
affici, in abditis partibus, ipsisque faucibus ac vesti-
bulo quo viri illas ineunt, copiose frondescunt, ac
densa pilorum segete luxuriant: eoque fit ut quo
densius fruticentur pili, eo sint congressus virilis au-
diores, magisque fœcundæ. Quod autem nonnullæ
non concipiunt, licet excremento genitali abun-
dent, caloris penuria efficit. Ut enim in solo palu-
stri ac vliginoso, terraque plus satis humida suffocan-
tur sata, nec in stirpem emergunt; ita in utero lubri-
co conceptus non perficitur. Similiratione iuvenes
quidam inito primum coniugio, infœcundi sunt, ac
quamlibet se concubitu fatigent, a generandi spe
excidunt, ac speratæ prolis desiderio frustrantur;
quod virili robore destituti sint ac genitura frige-
scat, ipsaque fit, quam par est, dilutior. Caloris ita-
que ratione hirsuti sunt viri, & magis, quam sexus
muliebris, audaces. Quod si supra mediocritatem cal-
lor in virili corpore augetur, atque accensa bili san-
guis inflammatur, in desperatam feritatem ac rabiē
nonnumquam deurgit. Quo fit ut pleriq. irritati, ac
vel publicis vel priuatis odiis laceffiti, crudeliter in
hostē sæuiant, atq. immani furore grassentur. Quo-
circa quo quisq. plus satis calefcit, atq. ultra tempera-
menti moderationem excurrit, eo corpore magis
hispida est, animoque ferociore. Quod Iuuenalis
scite expressit,

Hispida barba quidē, & dura per brachia seta

Promittunt atrocem animum. —

Intensus siquidem calor animosos homines effi-
cit, feroces, iracundos, callidos, versipelles, industrios,
solertes, quibus non solum in extimo corpore, sed
internis etiam partibus pilos innasci proditum est.
Quod de Aristomene Missenio refert Plinius; qui
stratagemate ac astu militari integras cohortes solus prestigasse
memoratur. Est autem id quæ calliditatis atq. astutiæ,
tūm.

rum eximia admirandæq. fortitudinis argumentū
 Quum enim vir is tercentum Lacedamonios confecisset, atq.
 ab illis semel atq. iterum captus esset, per cauernam elapsus est, Aristome-
 angustos vulpium ac mustelarum aditus sequutus. Rursus de- nis astutia.
 prehensus, sopitis sepultusq. somno ac vino custodibus, ad ignem
 aduolutus, lora quibus deuinctus erat, cum corpore excussit.
 Tertium capto Lacedamonii peētus dissecuerunt, vidēdi causa,
 hirsutumq. cor repertum est. Ex his cōiucito, quantum
 virilis calor ac roboris Sampsoni inerat; qui mandi-
 bula asini mille viros confecit, qui amulsis postibus ac repagulis, Sampsonis
 urbis portas in mōtis castrum extulit; qui ruptis funibus ac lo- virtus.
 ris, quibus uinctus erat, se insidiatoribus intrepide opposuit, qui Iudic. 16.
 cōuulsis columnis quibus tricliniū fultum erat, numerosam ho-
 minum multitudinē oppressit. Nec minus spectabilis aut
 admirāda Dauidis virtus extitit, qui impetu factō in leo-
 nem & ursum, quā pecori inhiarent, utrumq. prostrauit; deie- 1. Reg. 17.
 ctog. formidabili hoste, opima spolia, amplaq. trophæa ac victo-
 riæ insignia in urbem retulit. Quo nomine etiam apud
 Hebræos Sangar Anathi filius nobilitatus est, qui
 sexcentos Palaestinos vomere (vel vt alii verterūt) fuste, quo
 boues stimulantur, confecisse memoratur. Et quamquam
 huiusmodi conditionis homine magnas ex par-
 te excelsi inuictique animi magnitudine ac robore
 existant, plerique tamen eorum præcipites ac te-
 merarii improba quadam cupiditate ad patrandā
 facinora impelluntur; qui cum virtute duce ad res
 præclaras eniti possent, nec his confectandis desint Ingenis
 adminicula, ad vitia deflectunt, atque insidiis, dolis, proba im-
 fraudulentis, rapinis, cede, sanguine, ad opes, ad im- proborum
 peria, ad potentiam, sibi aditum patefaciunt, quia commertio
 magnanimitate ac fortitudine alimenti, audaciæ depraua-
 potius ac crudelitatis, quam fortitudinis nomen, ri.
 merentur: præbent quidem se animosos in adeun-
 dis periculis, atque audaces in obeundis rebus ar- Temera-
 duis, sed cupiditate priuata ac crudelitate inhu- ria auda-
 mana, sic vt omnes suos conatus ac molimina non. cia.

*Virtutibus
vitia per-
mixta.*

*Lib. 6. de
Rep.*

*Proverbia
in ignavos.*

*Quid vocē
robustam
efficiat.*

ad utilitatem communem, aut Reip. commoda, sed ad suas cupiditates, priuatasque libidines referant maximo ciuium ac populorum detrimento. Sic plerunque obseruamus summæ expectationis maximæ spei adolescentes, in quibus elucet generosæ mentis indoles, improborum commercio ac consuetudine degenerare, atque a morum integritate desciscere; qui cum virtute possint innotescere ac celebres effici, malis artibus potius id tentare pergunt, in quibus non minus se præbent industrios ac solertes, quam vbi ad res præclaras aditum sibi patefaciunt. Et quemadmodum homines ignaui mentisque inertis ac somniculosæ in neutram partem memorabile aliquid moliri solent, nec sublime quiddam vel aggredi, vel meditari: sic isti ad quæuis sunt appositi, seu vitia, seu virtutes spectes, nec quicquam in conspectandis perficiendisque rebus illis aut operosum est, aut difficile; adeo vt quacumque via grassari velint, qua ratione ac modo se illustres præstare, id facile assequantur ac perficiant. Quo mihi recte Plato iudicasse visus est; *Nefanda scelera ac perditam profugamq; nequitiam non ex ignaui stupidoq; ingenio, sed generoso potius educatione corrupto procedere.* Sunt autem huiusmodi conditionis homines calido corporis habitu, qui illis ad obeunda facinora est incitamento. *Nam frigidi, quod meticulosi existant ac timidi, numquam, vt habet Proverbum, trophæum statuunt, nec quicquam egregii aggredi, aut experiri audent.* Quibus itaq; corpus qualitate calida imbutum est, ii ingenio sunt vario ac versatili, viuido, alacri, erecto; lingua fluxa ac flexanima, quæ articulate ac significanter verba proferrat, sonitu vocis non exili: nam robustam vocē efficit partim pectoris ac vocalis arteriæ amplitudo, partim insitus calor, vnde emergit impetus animi, mentisque ardor & concitatio. Quod si proba desit educatio, nec animo cultus adhibeatur, versipelles plerum-

plerumque euadunt, veteratores, subdoli, astuti, in
compilandis rebus mire dextri, animo inquieto ac
tumultuoso; ingenio vero vafro, versatili, ventoso,
mobili, infido, rerum nouarum auido,

— cui tristia bella,

Iraque, insidiisque, & noxia crimina cordi.

Et quoniam calor lumbos incitat, sunt hi magna
ex parte impendio salaces, atque in Venerem proueni,
omnesque corporis voluptates profusissimi. Cui vi-
tio si impotentius succumbunt, ac supra mediocri-
tatem sunt dediti, ob immodicam humoris profu-
sionem, præmature caluescunt; atque in anteriori
capitis parte quæ synciput dicitur, efficiuntur glabri;
color quoque iis deflorescit; oculi caligant ac lippi-
tudine vitiantur; tempora collabuntur; tibiæ clu-
nesque gracilescent atque extenuantur; labascit vi-
gor; facies macie deformatur, omnisque corporis de-
cor ac venustas obsolescit ac deperit, multisque aliis
incommodis sunt expositi. Primum *καχεξία*
hoc est, squallido maloque habitu, febri hectica, que
intimis partibus infixæ, atque ossibus medullisque
penitus inhærens, corpus tabe conficit. Quod si e-
iusmodi constitutionis homines tuendæ conseruan-
dæque sanitatis rationem habeant, ac corpori men-
tique vllam curam adhibere pergant, præ cæteris va-
letudine fruuntur inculpata, nec facile morbis eos
tentari contingit, aut aliquos humorum acervos
congeri, qui corpori putrefactionem aut corrupte-
lam inferant: ab iis enim moderata caloris innati
substantia illos liberos præstat atque immunes. Quo-
circa optima instituenda victus vitæque ratio, & præ-
ter hæc quæ corpus humanum constituunt, sex illæ
res quæ nos conseruare possunt, modo iis commo-
de vtamur (nam id nostræ electionis & arbitrii, na-
turæ parens esse voluit) accurate obseruandæ: vo-
cantur autem Galeno *causa conseruatrices, quod corporis*

Aeneid.
lib. I.

Veneris
moderatio.

Res non
naturales.

- Artis me-
dicae 85.
Cause con-
servatri-
ces.* nostri constitutionem conservare idonea sunt, modo iis comode atq; opportune utamur. Recentiores medici res non naturales vocant; non quod praeter naturam existant, sed quoniam extra nos constitutae sunt, nec nobis insite; tum quod usu effectuq. suo, ac qualitatis aut mensurae ratione naturam, eiusq. facultates vel laedant vel vitient si sinistre ac parum apte adhibeantur. Cuius generis sunt aer qui nos ambit, alimenta, motus & quies, somnus & vigilia, excretio & retentio, affectus animi, quae calor nativus ad sui conservationem ac tutelam exigit. Primum enim aer subinde tacite ac latenter, subinde manifeste in corpus se ingerit, ac spiritus cum foedo halitu, tum salubri afflatu vel vitiat vel reficit. Plus autem detrimenti infert aer insalubris, auraq. contagiosa & pestilens, quam venenosae qualitatis cibus; iste enim vomitu excuti potest, quum aer ac liquida quaeq., si quando vitalia corripunt ac venas subeunt, ita inhærescant, ut ægre expugnari queant: quum itaq. circumfusus aer corpora nostra varie afficiat, (nam praeter exhalationes pestiferas, quae se pulmonum fibris inferunt, vel plus iusto calefacit, exiccat, frigefacit, humectat) sedulo sibi quisque prospiciat, ne quid noxae aut incommodi ex illo contrahat: nam quum temperatis corporibus saluberrimus aer accommodus, qui nulla extranea aut vitiosa qualitate infestus est, aut temperie vitiat, ita a temperamento delapsus is aer induendus in quo contrariae qualitates exuperant: sic calido aestuantique corpori frigidus, sicco humidus accommodatus, quod etiam arte moliendum est, ubi ille desit, aut alius obtineri nequeat. Quocirca in morbis calidis ac siccis, aut statu caeli aestuoso,
- Aeneid. 10* — quum Sirius ardor
Ille sitim morbosq. ferens mortalibus agris
Nascitur, ac laevo contristat lumine caelum.
- Ganicula* Quo ardores abigi arcerique possint atque aestus
mitigari

mitigari, irriganda pavimenta scaturientibus aquis,
sternendi carices, ac frondibus virentique gramine
aut pampinis adornanda cœnacula; quod quum Bel-
gæ factitare soleant, tum nulli, quam Britanni, quos
Anglos modo vocant, decentius, aut apparatu or-
nатуque magis spectabili ac visendo: quum enim æ-
state superiore eo me contulissem, partim vt Insu-
lam opibus virisque heroicis cum primis illustrem
spectarem, partim vt Guilielmi Lemnii, cui, vt æ-
quum est pari, vnice afficior, consuetudine fruerer,
multa mihi in ipso aditu (nam ad Cantium promon-
torium delatus partim equo, partim nauigio
Londinum deuectus sum) conspecta sunt & obser-
uata, quæ quemuis ad collustrandam hanc regio-
nem possent allicere. Siquidem quum D. Le-
mnius qui ob singularem medendi artem, quam
felici successu, magnoque procerum ac popularium
applausu exercet, huic genti charus acceptusque est,
in cœtum ac clarissimorum virorum confessum me
deduxisset, cœpit ilico ex optimatibus quisque erga
hominem exterum, & qui numquam illas oras at-
tigisset, humanitatis officia exercere, ac prehensa
dextta in amplexus ruere, atque effuse aduentum
gratulari. Sunt enim in prouectioris ætatis homi-
nes, & quibus est aliqua doctrinæ existimatio, mire
propensi; quod non facile persuaderi posset iis qui-
bus sunt suspecti nationis huius mores & conditio.
Itaque vt ingenue fatear, amabilis mihi visa est in-
credibilis gentis huius comitas, affabilitasque sermo-
nis; oblectabat me elegans & exquisita dignaq. spe-
ctari rerum domesticarum mundicies, recreabant
triclinia virgultis herbisq. redolentibus passim con-
strata, nec non fasciculi manuales ac olfactoriola
ex flosculis versicoloribus concinne congesta, quæ
culcitris thorisque inspersa suauis halitu conclaue

*Angliæ
laus.*

*Angli do-
ctis & se-
nibus affi-
ciuntur.*

*Anglorū
vita con-
ditio.*

*Cur Angli
florido co-
lore.*

*Cibi & po-
tus facul-
tas.*

*Lib. I. c. 3.
Simile a
cultura
agri.*

vndique complebant. Quo effici credo, quum ali-
menti tum aëris saluberrimi ratione, vt indigenę co-
lore florido existant, oculis, facie, vultuque, atque
oris specie, quæ honestatem ac decus præ se ferunt;
voce blanda quidem, sed moderatione temperata
nullisque lenociniis indecoris, aut verborum illece-
bris corrupta. Et quum in accubatione epularum,
ac symposiis sumptuosi existant, tum potu se minus
onerant, nec quemquam immodice vrgent, sed pa-
tiuntur pro suo quemque arbitrato, sapidissimo quo
fere vtuntur, liquore madescere atque irrigari. Quod
vero ad vrbium frequentiam, soli vbertatem, fon-
tium scatebras, fluminum rapidissimos decursus, ar-
mentorum ac pecudum greges, texendi artificium,
iaculandi peritiam attinet, superuacaneum est re-
ferre quidquam: quum negotiatores qui apud hos
mercaturam exercent ac nundinantur, aut legatio-
nes obeunt, abunde testari poterunt nihil earum
rerum quæ in hominum vsum ac commoditatem
expeti possint, deesse illis, aut desiderari. Cæte-
rum vt argumentum incepti operis prosequar,
quemadmodum de aëris, ita alimenti quoque ra-
tione statuendum, ac cibi potusque similis habenda
consideratio. Quocirca vt corpus non facile morbis
tentetur, vllisque febribus sit expositum, optimis
quisque cibis assuescat, qui nihil succi vitiosi, aut hu-
moris prauis pariant, eosque assumat quum tempe-
stive atq. ordine, tum quantitate moderata: *Quem-
admodum enim, Columella teste, imbecilliozem agrum
esse decet, quam colonum vel agricolam; quoniam quum sit
colluctandum cum eo, si fundus praeualeat, allidi dominum:*
ita cibum infra naturæ vires esse conuenit, quo mi-
nimum negotii ventriculo faceffat alimentorum
redundantia, ac maturius concoctio digestioque
perficiatur: quod ipsum ægre obtineri potest, vbi im-
moderatus cibos ingeri contingit, illique vel vitiosi
sunt,

sint, vt repugnantium inter se qualitatum; denique nec obseruata temporis, consuetudinis, horæ, ætatis, mensuræ, ordinis ratione ac modo. Quod in exercenda Venere iis quoque præscribendum censeo, qui inuito primum matrimonio frequenti concubitu domari posse nuptas credunt, quum illæ non fatientur, ac viros funditus exhauriri contingat. In victu autem instituendo hoc cum primis obseruandum, præsertim vbi corpus temperamenti limites non excedit, nec a moderatione delapsum est, vt similia ac naturæ quam maxime consentanea exhibeantur; nam contraria dedisse, cum primis noxium est ac perniciosum: quod sane in omni ætate, tempore, regione, cõsuetudine quæ ascititiam naturam gignit summopere spectadum. Sic pueri humidum victum *Tueri vi-* exigunt, illisque impense calida & exiccanda præ- *ctum hu-* scribi non debent, quod incremento officiant, ac *midum* corpora prohibeant adulescere. Quocirca Plato & *exigunt.* Galenus illi ætati vinum interdicit, ac ne gustare *Lib. 2 De* quidem permittunt; quippe quod haustum, corpus *Legibus.* calefaciat, & caput halitu impleat damnunq. men- *Lib. 1. De* ti inferat; adeo vt etiam adultis parce id exhiben- *tuendava-* dum censeant, quod ad iram ac libidinem præcipites *letud.* faciat, ac partem animi rationalem, hebetem turbidamque efficiat. Qui vero pubescunt, quoniam in optimo temperamento consistunt, victum salubrem ac temperie medium exposcunt, qualis est vitulina *Vinum* caro, ouilla, suilla, gallinacea, hædina, oua gallina- *pueris no-* cea, panis primarius ex laudatissimo tritico confe- *xium.* ctus: iuuenilis autem virilisque ætas quoniam ad caliditatem ac nonnullam siccitatem deurgit, illisque æstiuis potissimum mensibus feruescit sanguis, moderate humidus calor diluendus est; cuius generis *Qua san-* sunt buglossus, atriplex, malua, aut lapathi id genus *guinis fer-* quod a spinoso semine Spinachium dicitur, hippola *uorẽ tem-* pathum, & hydrolapathum, cuius naturæ nobis vo- *perant.*

*Draconitis
hortensis,
vulgo
Dragon.*

*Lib. I. Of-
ficior.*

*Simile ab
hominum
moribus.*

*Mutatio
subita
quando
utilis.*

*Mala con-
suetudo
sensim mu-
tanda.*

vocata est patientia, lactuca, portulaca, melones, cucumeres, cerasa, corna; quorum nonnulla, ne stomachum offendant, ac ventriculo nocumentum inferant, elixari possunt; aut ubi iis crudis in acetariis utimur, erucam, nasturtium, mentham, sisambrium, & quo nunc passim horti nitescunt, drococellam admiscere. Sic enim obtinebimus, ne calor plus satis inualescat, atque humiditatem nativam depopuletur. Vbi itaque in calido aut alterius qualitatis statu ad intemperiem lapsus est, alterare naturam ad contraria expedit; nam similibus morbos acciri, atque intemperie foueri contingit. Si quando igitur habitum corporis mutare consultum erit, ac morbos demoliri, contrariam victus vitæque rationem imperabis; sic tamen ut pedetentim natura ad diuersam consuetudinē transferatur. *Ut enim sapientis est, Cicerone teste, amicitias quæ minus delectant, minusque probantur, seorsim potius dissuere, quam repente præcidere:* ita in veterata inolitaque consuetudo lente certaque ratione mutanda est. Subita enim ac repentina innouatio non absque insigni valetudinis iactura inducitur, præsertim in corpore: nam in animo ab improbis moribus ac flagitiosa vitæ consuetudine confestim resiliendum. Porro quum in iuuenibus omnia sunt ad temperantiam usque reducenda, ac nihil non agendum, quo errores emendari, habitusque corporis ad iustam symmetriam seu conuenientiam reduci possit; tum in senili corpore nihil temere moliendum, ut cui utilius est rebus consuetis inhærere, etiamsi modice noxiæ sint, quam in victu vitæque genere quidquam innouare: contra iuuenibus ea mutare quæ nocent, tentandū, etiam si a puero iis maxime assueuerint: possunt enim eorum vires moderatam mutationē perferre; & quoniam multum vitæ superesse posset, sperandum est aliquem eos fructum ex ascita meliore consuetudine ac viuendi instituto consequuturos.

turos. At senex siquid tentare pergat, ac longo usu familiarem ac domesticam vitæ rationem vel excutere, vel immutare velit, prorsus operam luserit: si quidem tametsi aliquem progressum fecerit, & non nihil obtinuisse visus est, deficiet tempus, ac per exiguum vitæ spacium restabit, quo optatis bonis perfrui possit. Simile enim quiddam is animo concipit, vt qui exacta ætate, decursoque æui spatio, ac metæ proximus, quo Catoni nihil visum magis absurdum, eo plus viatici parare sibi pergat, quo minus vitæ peragendum restat. Frustra enim is operam infumit non aliter, vt apposite Galenus, quam si quis iam deuexa atque inclinata ætate artem quampiam addiscere velit, quam properandum sibi, ac non multo post sarcinas sibi colligendas meminerit atque emigrandum. Quum itaque senilis ætas nullam ex permutata victus vitæque ratione commoditatem sit perceptura, præstat quocunque modo illam fulcire, atque appositis alimentis corpus frigidum siccumque calefacere atque humectare, quam ambigua dubiaque via insistere, ac præter ætatis rationem quidquam aggredi: quum senectus inuvalida sit, parumque firmis viribus, nec leuissimum errorem perferat, in quem si labi contingat, ægre admodum poterit eluctari. Caterum quum motu seu exercitatione vbi ea moderata existit, calor nativus augeat, ac virile robur concipiat; corpus vero animusque humanus occupatione molesta, ac negotiosa cura defessus, quiete se atque otio reficit, pusillumque laxamenti sibi constituit: horum vt in quouis habitu (nam singulis hæc pro naturæ suæ conditione accommodari possunt) ita in calido corporis statu, quo valetudo firma consistat ac stabilis, habenda ratio. Nihil enim agitatione corporis, motuque decenti ac composito salubrius. Siquidem reuiuiscit eo vigor animi, ac spiritus sopitus lan-

*Periculosa
mutatio in
senibus.*

*Cicero in
Senectute.*

*Lib. 5. De
tuenda
valetud.*

*Exacta
via viatici
cum qua-
rere.*

*Exercitiis
commoda.*

*Exercita-
tionis com-
moda.*

guidusque excitatur, exhilarescit mens, omnesque partes corporis ac sensus quum interni, tum externi agiles efficiuntur, alacres, erecti, atque ad obeundas actiones expediti, color efflorescit, appetentia acui-
 rur, recluduntur meatus, ac venarum conceptacula dilatari incipiunt, humoresque liberius vltro citro-
 que comitant, excrementa commode expurgan-
 tur, concoctio maturius perficitur, ac succi elaborati in habitum corporis distribuuntur; postremo, quum mens sit sedatior, somnus accedit placidus, nullisque nocturnis imaginibus interruptus, modo omnia opportune ac legitimo tempore adhibeantur, hoc est, concocto cibo atque excrementis accurate expurgatis, quæ intensiore motu in habitum corporis rapiuntur, ac meatus exiles angustosque obturant. Quum autem exercitationem aggredi visum erit, præparandum corpus flexuosis gestibus, nervosæque partes quæ ob intermissum forte exercendi usum ad motum obriguerunt, agiles præstandæ: sic enim nulla molestia, nullaque lassitudine illam obire poterit, ac tantisper agitationi corporis insistere, dum membra intumescant, ac color floridus se proferat, rubentique specie, cutis sudore madefacta appareat; quæ quum spectari incipiunt, sisti ilico ac cohiberi exercitatio debet: si enim vltra progreditur, nec conquiescat, confestim color euanes-
 cit, ac corpus aridum fit ac frigosum. Et quemadmodum si calidæ conditionis homines citatiore vtantur motu, atque in agitandis exercendisque membris incalescant, ac plus satis sint feruidi, corpore efficiuntur gracili, atque absumpto humore naturali ad siccitatem inclinantur: ita, si otiosam vitam agant, ac veterano torpescant, aut denique luxu, vitæque intemperantia, languore, ignauia, deliciis, socordia, segnicie, desidia, inertia eneruati, ab exercitatione desistant, humoribus vndique turgescunt,
 atque

*Exercendi
 modus.*

*Desidia
 noxia.*

atque opimi obesique euadunt. Hæc fortasse videbor fastidioso lectori differuisse verbosius; verum co-
intelligat spectare consilii nostri rationem, vt quum
omnes, tum maxime philomusos virosq. patricos,
& qui literis continenter sunt addicti, commonitos
velim, ne laboriosas validasque motiones subeant,
præsertim ieiuni, vel statim a sumpto cibo; nec in-
tempestiuus lucubrationibus sint dediti, vitaq. um-
bratili implicati, spiritus annales, omnesque natura-
les facultates attenuent: vtrobique enim deesse illis
modum obseruo; qua de re vberius in sicco tempe-
ramento tractare institui. Porro quum sint varia
exercitationum genera, nec quæuis omni ætati vel
apta est, vel decora; seipsum quisque exploret, ad
quam natura maxime sit appositus,

Quid valeant humeri, rursus quid ferre recusent.

Nam & luctari, disco vel pila ludere, globos tor-
quere, decertare castibus, immensa pondera libra-
re, atque in sublime efferre, iaculari, equitare, cursu,
saltu, ballistis, aut natandi peritia cum æqualibus
contendere; in equestri certamine vibrare hastam,
ac commilitones in pugnam laceffere, inter robu-
storum hominum exercitationes referuntur; quam-
quam earum nonnullæ, quoniam violenter ac vali-
de obiri solent, aliquando ex plausibili spectaculo
luctuosum funestumque exitum consequuntur, vt
superiori anno in Galliarum rege Henrico, eius no-
minis secundo, excelsi inuictique animi viro conti-
git; qui multa quæ perficere destinarat, meditatus,
dum in pompa nuptiali incitato equo congregi-
tur, soluta casside, ac galeæ ligulis, lanceæ fra-
gmentum capiti impactum est, ac lætale vulnus in-
flixit; siquidem post dies aliquot oborta febris, vt in
huiusmodi calamitate assolet, ex plaga sublatus est.
Sunt autem alia minus operosa, minusque molesta
exercendi corporis genera, nempe vectiones quæ

*Quid stuo-
diosis fa-
ciendum.*

In arte

Poet.

*Varia ge-
nera exer-
citationis.*

Henrici 2.

Gallia re-

gis mors,

anni 1559.

Mitiora

exercitia.

*Musica
mentem
exhilarat.*

*Rhetorica
popularis.*

*De valet.
lib. 5.*

*Gibbosis
apta exer-
citatio.*

*Generosi
equi nari-
bus sonitū
excitant.*

*Vt genero-
si equi ex-
plorandi.*

vel vehiculo vel nauigio perficiuntur; frictionum complures differentia; ambulatio que vel lento, vel citatiore ingressu peragitur; cantilenæ ac musici concentus qui viua voce, vel instrumentis modulate resonantibus aures animumque suauitate permulcent, ac discussis nebulis, spiritus sopitos excitant, mentemque depressam erigunt. Quod si certis interual-
lis accedat clara lectio, ac vocalis sonique intensioris canora declamatio, vt Comici nostri factitant, qui Rhetoricam rhythmis metiuntur, dici vix queat, quantum pectori eiusque musculis commodi attuleris: nec minorem fructum perceperis in dilatandis pulmonum fistulis, ac discutienda fuligine quæ iis partibus inhæret, si cohibito parumper anhelitu ac labris excitato popifinate, sonituque bomboso spiritum explodas; verum id ex Galeni sententia moderandum in iuuenibus vsque ad ætatem consistentem, ac prima luce seu antelucano, vbi corpori nulla subest repletio, nec nocturni labores, qui in concubitu amplexuque mutuo obeundi sunt, hominem affligerunt. Hæc quoque exercitatio his potissime conuenit, qui vel vitio naturæ, vel nutricum incuria gibbo sunt deformati: nam quum thoracis musculi pulmonumque folles retracti ac curuati in dorsum delitescant, hæc respirandi ac dilatandi pectoris ratione leuamētum percipiunt, minusque efficiuntur anhelii. Quin & equi vbi incitati calcaribus gressum glomerare incipiunt ac cursu incalescere; quod homines ore inflatisque buccis moliuntur, id illi spirante sonitu ac narium flabris perficiunt exploratissimo generosæ indolis argumento: sic hippopolæ, hoc est, qui equos, venales exponunt, quo sonitum eliciant, nares vellicant; quem si ineunctanter proferant, nihil subesse latentis occultique vitii persuasum est: nam in cursu minus agilem esse ac calcitrosam, pedibusque rigidis; aut visu caligante, oculorum iudicium exigunt.

gunt, aut aliis argumentis explorari debent. Possem equidem plura oblectandi genera referre, ut quæ resonante fritillo, quæ tesseriis, ut quæ in pyrgum missis, quæ faciente alea, aut enumerandis chartis nonnullos recreant. Sed quoniam ea sunt otiosorum hominum auocamenta, qui statariam potius aut sedentariam, quam motoriam fabulam exoptant, de his nihil inferendum putavi. Siquidem spectatæ probitatis viri ea potius oblectamenta, has a rebus feriis vacationes requirunt ac confectantur, quæ ab honestatis actionibus non sunt aliena, ut sunt ruris amœnitates, atque agricultura occupatio; quæ non solum voluptatem, sed emolumentum etiam, quæstumque præbet uberrimum nullo tædio aut laboris molestia: nihil enim necesse est heri fundique domino agris desertis culturam adhibere, noualia sementi præparare, occationi, subigendisque glebis insistere, agrum repastinare, ablaqueare arbores, quum herus leuioribus occupatus, colonis villicisque ea demandare poterit, atque ad pensum diurnosque labores illos instigare, ac quid effici velit, voce, manu, nutibus præscribere atque indicare. Quod illud Terentii edocet;

*Quod in opere faciundo, opera consumis tua,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.*

Fertilissimus enim in agro oculus domini; cuius etiam vestigio saginantur iumenta ac pinguescunt. Iam vero ubi ab exercitatione desistimus, atque ad cibum potumque, quo vires instauramus, deuentum est, summa cura euitanda satietas ac redundantia: quum enim sæpe utilis nimia inedia, tum numquam utilis nimia satietas, ea siquidem ventriculum distendit ac crudelitate afficit, quæ parit oppilationem atque humorum putredinem, vnde pullulant febrium omniumque morborum examina. In constituenda autem valetudine firma ac stabili, omnia ordine, ratione ac modo, adhibenda.

*Obllectatio
minus honesta.*

*Rusticatio
laudata.*

Heaut.

scena I.

Actus I.

Prouerbiis

rusticum.

Satietas

vitanda.

Ordo in se-

nitate tu-

enda.

Epidim. 6.
Aphor. 5. toque delectu ac iudicio peragenda, sic vt ex Hippo-
cratis sententia; *Labor seu exercitatio, cibus, potus, somnus,*
Venus omnia mediocria sunt, suoz ordine incedant ac persi-
ciantur: quocirca sanitatis tutelam ab agitatione mo-
tuque corporis auspicandam censet, quem subsequi
debet cibus & potio, deinde somnus, mox Venus: in
his, vt Galenus ait, quibus ea ex vsu est, minusque
incommoda, vt iuuentuti floridæ; nam prouectæ æ-
tati ac senili, tum siccis corporibus cum primis noxia
ac pernicioſa. Nec vero calidis temperaturis satis tu-
Veneris in
commoda. ta est, præsertim si intempestiue vel immodice, tum
statu cæli calido illi assuescant. Vernis autem mensi-
bus salubrior, vbi moderato cibo potuque concale-
factum atque irrigatum corpus, antequam somnus
obrepit, Venerem exerceat. Sic enim lassitudo
quæ ex concubitu contrahi potuit, obdormiscenti
statim remittitur ac relaxatur.

Inanitiō & repletio.

Hæc quoque moderatio etiam in aliis rebus ob-
seruanda; si quando corpus cibo potuque refici vel
humoribus oppletum inaniri postulat ac euacuari,
exploratis viribus & quid natura perferre posset, tum
quo prodire ac progredi liceat; quod etiam in venæ
sectione, prouocando sudore, deiectione alui, pro-
luendisque intestinis, in ciendo vomitu spectari de-
bet, obseruata temporis, ætatis, consuetudinis, na-
turæ, regionis ratione ac modo. Nec quisquam vlli
horum assuescere debet, aut temere quidquam in se
moliri, nisi res vrgeat, aut aliqua subsit humoris re-
dundantia, quæ vel purgationem vel euacuationem
exigat. Sunt enim in omnibus fere regionibus qui
singulis anni partibus vel venam secari, vel cucurbi-
tulas scarificata cute sibi admoueri patiantur, maxi-
mo valetudinis detrimento; si quidem vna cum san-
guine vitæ thesauro non minima spiritus vitalis por-
tio emanat atque excernitur; quo fit vt tota moles
corporis

*Vena non
temere in-
cidenda.**Sanguis
& spiritus
vitæ the-
saurus.*

eorpotis ad frigiditatem deuegat, naturæque opera
 ac functiones perficiantur deterius. Sic alii nullo
 Medicorum consilio catapotia, quas pilulas vocant, *Sani ne*
 subinde deuorant, ac medicatas potiones ebibunt, *medica-*
 quibus vires sibi deiciunt, ac præmaturam senectam *mentis af-*
 accelerant. Quod ipsum nonnullis in vomitu iden- *suescant.*
 tidem prouocando vsu venit, qui persuasum sibi ha- *Vomitus*
 bent, semel aut bis in mense salubre esse sentinam *raro pro-*
 exhaurire: quum sanis non expediat, aut consultum *uocandus.*
 fit, in belluinam illam consuetudinem deuenire,
 aut tale quiddam præscribenti acquiescere. Nam
 quod plerique Hippocratis autoritate id stabilire
 pergant, non videntur mihi viri illis mentem satis *De ratione*
 excussisse. Quum enim inter illos versaretur, ac me- *viæus li. 1.*
 dicinam factitaret, qui pergracari solent, hoc est, Ge- *Pergraca-*
 nialem vitam agere, atque affluentius cibo potuq. *ri.*
 perfundi, non præscripsit illis vomendi leges: sed si
 grauari illos contingat, ac crapula distendi, consul-
 tius censet, vt is qui singulis mensibus vomere con-
 suevit, biduo id continuet potius, quo secundus dies
 prioris reliquias excutiat, quam vt interpositis quin-
 decim diebus illud tentare pergat. Sic enim contra-
 ctam ex ingluuie atque intemperantia, humorum
 plenitudinem, quacuabit, ac corpus a morbis tutum
 reddet. Ita is senex neminem ad vomitum horta- *Quando*
 tur salubritatis ratione; sed huiusmodi excretiones *vomendæ.*
 illis vsui censet, qui ex crapula, ingestoque immo- *Nidorosi*
 derate cibo grauari ventriculum sentiunt; vel ex cru- *& acidi*
 ditate, ac cibi corruptione acidos vel nidorosos ru- *ructus.*
 ctus percipiunt; quorum illud in frigido; istud in ca-
 lido ventriculo fieri consuevit. Sic sapiens Hebræus
 quum ad frugalitatem nusquam non hortetur, tum
 si largius quam valetudo exposcit, cænatum sit, at-
 que ex accubitu vis a conbibonibus illata est, ad vo-
 mitum excitat. Quod si, inquit, ad Intemperantiam *Ecclesi. 31.*
 fueris coactus, te ipsum subducito, ac vomere, ne cor-

*Vomitus
quibus no-
xius.*

pus tuum morbis exponas; sed non vult ut illi rei quis assuescat, aut in illam consuetudinem deveniat: quisquis enim velit ad maturam senectam perducere, ne sæpius id iterare pergat, præsertim si longorereque collo sit; si corpore vel nimis gracili vel obeso, vel astricto pectore, thoraceque angusto: quicumque autem temperanter vitam instituit, nihil necesse illi erit aliqua ex vomitu valetudinis præsidia comparare.

Somnus & vigilia.

*Quid So-
mnus.*

*Somni cō-
moditas.*

*Grata vi-
gilia.*

Par est somni ac vigiliæ ratio; quæ si moderata sint, atque intra mediocritatis limites consistant, plurimum commoditatis conferunt. Est autem Somnus animalis facultatis quies, atque a diurnis actionibus respiratio, qua virtutes languidæ, ac vires resolutæ instaurantur, defessaque corporis membra ac sensus eriguntur. Siquidem vegeta erectaque vi naturali, calor nativus intro collectus vires concipit, ac validè concoctioni incumbit, quam non solum in ventriculo, sed per totius etiam corporis habitum perficit, cuius vapore, suaviq; halitu madescit cerebrum, ac vapore rosido irrigata sensuum instrumenta in somnum resoluuntur. Quocirca nihil corpori humano post alimēta moderate absunta tempestivo somno salubrius: nam vires delassatas reficit; spiritus sopitos excitat; animum recreat, ac mœorem diluit; mentemq; placidam reddit & quietam. Nec sane vlla sui parte consistere possit, tueriq; sanitas absque somni & vigiliæ, amabili grataq; vicissitudine, qua nobis nunc a rebus seriis laxamentum querimus, ac statis horis somno dediti, erigendis viribus fomenta paramus: nunc vero excusso somno ad occupationes, ad corporis animique intentiones de novo nos conferimus. Quæ enim subsistere posset humanæ mentis vigor, si desint harum vices, ista vitæ varietas, atque a diurnis actionibus, quæ somno perficitur,

ficitur, otiosa cessatio? Hæc enim efficiunt ne hominis conditio molesta sit atq. onerosa, nec vitæ tædium nos capiat aut facietas. Siquidem vt apposite Quidius;

*Quod caret alterna requie, durabile non est,
Hæc reparat vires, se, saq, membra nouat.*

*Heroidum
epist. 4.*

Nam emerso Sole, luceq. nobis rursus exhibita, confestim se proferunt varia oblectamēta, innumera mundi ac naturæ spectacula, quæ nobis molestias excutiunt, curasq. edaces anxiiis ac sollicitis animis eximunt. Quod autem interdum occupationes, id noctu somnus nobis præstat. Vt enim dies vigiliis exercendisq. negotiis, atq. obeūdis laboribus dicatus, corpus exercet, ac spe somni omnia leuiora efficit; ita nox quieti omnia destinata, diurnarū obliuionem adfert, ac laboriosis molestiis finē imponit. Quocirca harū rerum non otēitanter habenda ratio; ac ne ordo desit atq. inuertatur, suum cuiq. tempus, suus modus assignāndus; sic vt somnus nocti attributus, certis horarum spatiis, nēpe plus minus octo absoluator, vel vbi liberalius canatū est, paulo sit productior; quamquam in nonnullis illum metiri soleā non tam horarum numero, quam profunditate, vt sunt baiuli, nauatæ, pugiles, vectores; hi siquidem & quibus cerebrū affluenter humore perfunditur, in vtramq. aurem, vt dicitur, dormiunt; somnoq. altissimo oppressi ægre excitari possunt; quod nimia exercitatione resoluta naturæ virtus somno refici postulet, atq. humiditate quæ a cerebro defluxit, instaurari; quo fit vt sopita facultate animali, atq. occupatis deuinctisque sensuum instrumentis arētissime somnus illos complectatur: quod autem in his qui se exercent aut immodicis conficiunt laboribus, efficit lassitudo ac defatigatio; id in ebris ac pueris adfert humiditas ac refrigeratio: vtrobiq. enim retracto calore ad cor vitalis facultatis fontē, impletoq. vapore capite, somn⁹

Dies labori, nox quietē dicata.

Somnus octo horarum.

Qui ægre excitentur.

Qui profunde dormiant.

Tueri & ebris quos somnoletis.

*Qui cito
emittitur.*

obrepit. Qui vero tenui humore imbutos habent cerebri sinus ac cavernas, hi vel leuiter vellicati expergiscuntur, atque enigilant; quod vapor rarus, halitusque tenuis ac minime densus qui capiti incumbit, cito euanescat ac dissipetur. Noui siquidem multos quum studio immodico, tum febrili ac Venere extenuatos, qui assidentium voces inter dormiendum plane intelligerent; sic vt minimo strepitu experrecti, complura eorum referrent, quæ ab iis essent enarrata; non equidem eorum more ac consuetudine qui in conuiujs ebrios somnolentosq. se esse

*Simulato-
res in con-
uiujs.*

ctæq. naris hominibus obseruari potest) quasi somno vinoq. sepulti, ac prorsus sopiti insidiosè odorantur atq. obseruant quæ in conuiujs proluxioribus, incalcescente vino animo, agitari, atq. incautius effutiri solent; vt quadruplatores. atq. excursores emissarii factitant, qui omnia passim explorant, atque in aliorum vitam moresque inquirunt non contemnendo

Quadruplatores.

sane quæstu ac præmio: nam ex delatione atq. accusatorio munere ac artificio quarta bonorum pars illis decernitur: quæ res illos admodum sagaces reddit, atq. in confectandis insequendisq. iis, ex quibus

Delator.

emolumentum sperant, atq. opibus inhiant, eorum acuit industriam. Hunc morem etiam vsitatū fuisse lenonibus, & qui tacite prostituebant vxores suas mercedis spe; vel quum nonnullos haberent suspectos, indicat Iuuenalis optimus vitiorum castigatores: quo enim mœchi licentius perfrui possent contactu coniugum suarum, concubituq. potiri, tanquam aliis rebus intenti, menteq. atque oculis aliò conuersis, quasi spiritus atq. animales facultates in alias cogitationes essent defixæ, contemplati sunt laquearia, aut graphice expressas in canaculis imagines. Sic enim, vt ex vno conicias ceteros, quendam carmine Satyricus illustrat,

*Iuuenalis
locus ex-
pl. atus.*

de Et no

— doctus spectare lacunar,

Sat. 1.

Doctus & ad calicem vigilantistertere naso.

Quod ipsum quoque designat Ovidius, sed captata alia occasione;

Si bene compositus somno vinoq; iacebit,

Consilium nobis resq; locus dabunt.

Lib. 1. Amor.

Cæterum, ut ab excursu ad institutum regrediar, nihil æque corporis animiq. vires fulcit, instaurat, erigit, ac somnus nocturnus, qui sesquihora plus minus a peracta cæna, quo subsidat cibus, dextri primum lateris incubitu perficitur; quamquam & in ventrem inclinatio, prono nonnihil corpore, concoctioni non sit inutilis, præsertim vbi immoderato cibo turgescit ventriculus. Quod si protuberante laxoque ventre ac sinuoso, non omnino extento constituatur corpus; dici vix queat quantum commodi in conficiendo cibo, in mitiganda stomachi inflatione ac dolore, in sopiendis intestinorum torminibus perceperis. Supinus autem decubitus, atque in dorsum deuolurus, nocentissimus: nam quotquot ad eum modum se componunt, hiante ore, patulifque oculis, atque inconuenientibus palpebris stertunt, nec placide suauiterque dormiunt, aut somno reficiuntur ob contractos pectoris ac cervicis musculos; quibus hoc etiam accedit incommodi, quod plerumque incubo, ac comitiali morbo opprimantur, tum paralyfi, spasmo, apoplexiæ reddantur obnoxii; qui morbi hos quoque comitari solent qui meridianis horis lecto affixi, diem somno transigunt. Quocirca nemo assiduitate quotidiana diurno somno assuescat, nisi lassitudo ex æstu ac labore contracta vires affligerit; aut nox pridiana intempestis vigiliis, atq. intempestiuis symposiis peracta sit. Tunc enim citra incommodum admitti potest meridiatio. Et quemadmodum somnus nisi opportune adhibeatur, siue is diurnus sit, siue nocturnus, ac modus

Docubitus in somno forma.

Supinus decubitus nocentissimus.

Diurnus somnus noxius.

Meridiatio. i. capere somnum diurnum.

Vigilia moderationē exigit.

desit, stupidos homines efficit, obliuiosos, languidos, inertes, grauedinosos, nullo ingenio, nullaque memoria: ita vigilia, nisi intra mediocritatem consistat, cerebro siccitatem adfert; sensus afficit; memoriam labefactat; oculis caliginem offundit; spiritus depopulatur; humorem natium exhaurit; concoctioni officit, omnem corporis speciem ac venustatem abolet.

Perturbationes affectusq; animi.

Affectus vitiosi hominum.

Quid detrimenti, quantamque iacturam menti inferant perturbationes, atque enormes impetus, odium, ira, indignatio, inuidia, timor, tristitia, gestiens atque effusa latitia, angores, sollicitudines, curæ, anxietates, multique alii turbidi animorum motus rationi non obsequentes, nemo non vel in se est expertus, vel in aliis obseruauit: quis est enim in tanta humanæ naturæ imbecilli ac lapsu, qui horum aliquo non vrgetur vel afficitur? Et quamquam alius alio melius affectibus vel obsistere nōrit, vel mederi, nullus tamen est mortalium, quin iis sit expositus. Quam vero sint affectus in nonnullis qui his impotentius indulgent, violenti ac feroces, tumquam grauiter non modo mentem, sed corpus quoque conuellant ac deiiciant, quotidiana exempla

Omnes affectibus expositi.

Affectus quænoxas inferant.

commonstrant. Nam multis furor, iracundia, pudor, effrenata latitia præsens exitium attulit; quod cor sanguine ac spiritu vitali destitutum labascet ac dissoluatur: quod ipsum etiam, sed diuersa ratione in metu, pauore, mœstitia, repentino subitoque terrore euenit, oppresso corde copia atque affluentia sanguinis, spirituque vitali suffocato: Ira vero, qua nihil furori, nihil insanie magis affine, ac proximum, quid efficiat, quantumque habitum corporis, atque externam speciem immutet, indicant inprimis vultus, color, aspectus horridus, oculi truces ac scintillantes, spirantes ac corrugatæ nares, os rabidum,

Ira vis.

Ira habet.

artus

artus tremuli ac vacillantes, incessus instabilis, vox titubans ac tremebunda; quæ animi affectio vel perturbatio potius, ubi excussio rationis imperio, ingravescere incipit atque efferari, quum aliis sit infesta, tum proprium corpus vel in mortem, vel periculosas ancipitesq; ægritudines coniecit. Quocirca moderanda ratione ac temperantia mens est, ne affectibus cedat, parandaque optata illa animi securitas, & quæ Cicerone teste, *caput est ad beate viuendum tranquillitas*: qua frui certe non potest humanus animus, nisi domitas habeat cupiditates, ac vitiorum tyrannidem excusserit; quod non aliis viribus efficere poterit, quam firma in Deum fiducia, stabili eius verbo, cælestique spiritu fulta; qua consequetur ut omnium cupiditatū moderatrix Temperantia, a libidine, ab insolentia, gaudio immodico, effusa lætitia, odio, iracundia, vindictæ cupiditate, auaritia qua inflammata mens auiditate instabili ad conquirendas opes impellitur, aliisque affectibus vitiosis auocet atque abducat. Sic enim vtraq; hominis pars, nempe corpus & anima, quæ sympathia, hoc est, mutuo consensu ac conspiratione inter se coherent, incolumes subsistent, nec vllis morbis, vlla ægritudine vexabuntur.

De frigido corporis habitu.

C A P. VIII.

Quoniam Calidæ constitutioni frigida ex diametro opponitur, nec est vlla deterior, atque ab optimo statu remotior; de hac proxime differendum, quo aliò reuocari possit, & si fieri queat, in meliorem reduci. Siquidem quum vita in calidi humidique temperie consistat, qua augescunt corpora ac virile robur capessunt, decentemque magnitudinem consequuntur; merito hæc deterrima censeferi debet, atque inter postrema referri, quod

Tuscul. 5.

Tranquillitas.

Temperantia quid efficiat.

Doctrina cælestis affectus sedat.

*Vita quid
fulcias.*

*Calore vi-
ta subsistit.*

*Frigus vi-
ta perni-
cies.*

*Frigida v-
niantur
calore.*

*Frigidis
corporibus
non deest
calor.*

nulla sui parte ea quæ ad fouendas vires, tuendamq. valetudinem spectant, promouere possit, aut iis ad incrementum aliquid adiumenti adferre. Quum enim illi desit calor, omnique vi ac facultate naturali sit destituta, non potest alimentum humidum alligere atque elaborare, utque assimiletur corpori ac membris coalescit, perficere, instrumentis inualidis, atque ob imbecillitatem torpescens, collapsisq. organis. Ut itaque calor natiuus omnium facultatum corporis nostri vehiculum & instrumentum ad perficiendas functiones efficacissimus; ita frigiditas illi contraria, nulli functioni idonea, præsertim si actiones naturæ circa nutrimenti alterationem spectes. Nihil enim utilitatis aut commodi ad corporis conseruationem ac tutelam confert, seu cõcoquendi digerendique munus obserues, seu reliquas naturæ virtutes ac potentias proferas. Huic tamen qualitati, quamlibet ab integritate ac temperie delapsa sit, semper aliquis subest calor, sed languidus, & qui frigore rigescit, atque obtunditur. Si enim illi deesset calor, aut is penitus esset extinctus, nullaque inhæreret huius qualitatis portio, nõ posset vita subsistere, atq. ab interitu se ipsam vindicare. Itaq. non penitus absumptus est in hoc corpore calor, sed eum superat frigiditas quæ in mixtura cæterarum qualitatum intensior est ac potior; eoque fit ut ab ea nomen atque appellationem sortiatur. Quocirca dum aliquid vitæ superest, ac nonnulla vitalis caloris portio corpori inhæret, omnibus modis excitanda fouendaque natiua caliditas appositis alimentis atque exercitatione, ne a frigiditate opprimatur: nihil enim ignauia vitæque otiosa ac cibis frigidis iis nocentius, ut paulo post indicabimus. Mirum autem nonnullis videri existimo, qui possint subsistere, vitamque tueri huiusmodi constitutionis homines, quum frigescente sanguine animalis spirabilisque vis con-

oidas

cidat atque emoriatur. Verum hoc quisque obseruet, multa animantia frigidissimæ esse naturæ, ut sunt Salamandra, pyransta vermiculus, torpedo marina, ac nonnulli pisces; quorum pleraque, quoniam sunt algidissima, ignem contactu extinguunt, ut glacies; nonnulla stuporem torporemque membris inferunt. Nullum est autem piscium genus, quod obseruasse me testari possim, cui calidus sanguis inest, præter balenas, foecas, vitulosque marinos, quos nostrates *canes* vocant, piloso tegmine, deniq. thynnos ac delphinos, & quotquot vel pilo vestiuntur, vel coreacea cute existunt, ut sunt inter amphibia, hoc est, aquatica simul & terrestria, fiber seu castor & lutra, quibus feruescit sanguis, quum reliquis gelidus existit; eoque fit ut bellux marinæ aquis exemptæ diu uiuant ob insitum calorem, ac feruidi sanguinis copiam; alterius vero generis pisces quum marini, tum fluuiatiles aquis destituti, euestigio moriantur, aut in littus delati, paululum modospirantes animam efflent, firmissimo argumento illis plurimum frigoris ac conereti humoris, caloris vero minimum inesse; quo fit ut non diu asseruari possint, sed cito putrescant, nisi confestim, nullaque interiecta mora sale obruantur. Ex his coniicito, qua sint valetudine, quo corporis habitu, qui continenter piscibus victitant, atque a commercio ac consuetudine hominum alieni, solitudini ac silentio se addixerunt; interdicoque esu carniū, quem naturæ parens omnibus indulgit, falsamentis plerumque putridis vescuntur; quibus ego suadere soleo, nam multos annos huiusmodi instituti homines me vsi sunt medico, ut meraco vino illa perfunderent, excussoque otio atque ignauia exercitationi insisterent. Obseruauī enim ex his complures qui lethargum, apoplexiam, spasmus, paralysem, oris torturam contraxerint ex crassa tenaciq. ac glutinosa pituita. Nec

Animantia tactu frigida.

Piscibus sanguis friget.

Vituli marini, Seehunden.

Fiber, Beber.

Lutra, Otter.

Qui pisces diu uiuant mari exempti.

Piscium esus solitarius noxius.

Genes. 1.

Act. 10.

1. Tim. 4.

*Solitarii
apoplexia
obnoxii.*

*Cochlea
vitam vi-
sere.*

*Venenata
herba.*

*Frigida
quomodo
subsistunt.*

*Rerum na-
tura spiri-
tu diuino
perfusa.*

est ex eorum sodalitia quisquam, qui nō phlegmate scateat, atque excrementis pituitosis obruatur; quæ efficiunt vt somnolenti existant, obliuiosi, corpore animoque tardi, colore exangui, atque albescente, nisi aliquando amicorum aduentu vino incalescant, mentemque exhilarari contingat. Sic enim efflorescit color, atque animo veteris excutitur. Itaque si frigida constitutionis homines describi tibi velis, huiusmodi conditionis homines ob oculos constitue, qui ex instituto vitæ ac victus consuetudine in talem habitum deueniunt, etiamsi ab hac prius fuerint alieni: viuunt illi quidem, sed vt cochlea, vt limaces, ac testudines; quæ quum ex liquore concreto, coactaque humiditate consistant, tum in illam liquefcunt ac soluantur; quod obseruari potest, vbi iis animalculis sale aut nitrum, aut alumen insperferis; confestim in tabem resoluuntur. Cæterum vt homines atque animantes, sic stirpes nonnullæ & frutices hac qualitate imbuti sunt, quæ deleteria frigiditate animantibus perniciem adferunt, vt hyoscyamus, mandragora, napellus, solanum, mortiferum, aconitum, papaueris nigri succus seu opium; quæ licet temperamenti atque elementaris qualitatis ratione frigida existant, abscessu quarto, graduque extremo, calore tamen vitali qui se a cælestibus rebus in hæc inferiora diffundit, viuunt ac virescunt. Insidet autem quum omni, tum præcipue humanæ naturæ vis quædam cælestis ac diuina, præter eam quæ ex semine maternoque sanguine constituitur. Siquidem spiritus calorificus, quem paulo ante toti mundo, eiusque partibus infusum ostendimus, elementis incumbit, cunctaque animat, ac vita imbuit; deniq. eam virtutem atque efficaciam confert, qua propagationi insistent, ac similem speciem emoluntur, eiusdemq. naturæ animal conformant. Quum enim prima animantium procreatio

EX

ex elementari concretionem, ac progenitorum semine, quod purioris excoctique sanguinis pars est, producat, tum natura cuius solertiam nulla ars, nulla manus, nec ullus opifex consequi imitando potest, superne originem sortita, operi insistit, omniaque perficit, ac facultates animales, vitales spiritus, viresque efficaces in subiectam materiam devehit; quorum ministerio artus omnes consummat, lineamenta membrorum inducit, eamque speciem atque effigiem rebus animatis confert, qualem quotidie oculis nostris conspiciendam exhibet. Hæc admirabilis naturæ vis, quam alias testati sumus ab uberrimo Diuinitatis fonte promanare, vndique diffusa, corporis molem agitat, mentem atque animum regit ac moderatur, variisque actionibus instruit: cuius munere etiam quæ frigore torpescunt, viuunt ac subsistunt, licet calor subsit languidus; qui ne prorsus flaccescat ac sopiatur, nec frigida qualitas, cui sicca affinis, plus satis ingrauescat, calidis fomentis excitandus est. Siquidem exhausta humiditate natiua, atque insito calore extincto, mors imminet, totaque moles spectat ad interitum. Fit enim quod eleganti ac concinna similitudine indicat Solomon, *ut soluta corporis compage, eneruatisque viribus reuertatur homo inter ram, unde desumptus est, ac spiritus demigret in æternam suam sedem, atque ad Deum a quo originem est consequutus, regrediatur.* Cæterum ut cuique innotescat huius constitutionis natura ac conditio, eius notas atque indicia, quibus deprehendi possit, obiter comonstrabo. Frigida autem qualitas, si calidæ conferatur, omnia contraria obtinet. Ut enim calor vndique diffusus, humores sua qualitate imbuit, ac corpus eiusque partes rubicundo colore illustrat; ita frigus suam qualitatem membrorum atque humoribus impertit, tum pallidum minusque suauem colorem inducit. Atqui si singulatim omnes notas obseruare libeat, nihil non in frigido corporis habitu a calido diuersum deprehendes; siqui-

*Lib. I. De
natura
miraculis
cap. I.*

*Eccles. 12.
Simile a
contignatione adiu.*

*Frigidi
habitus
signa.*

*Otium &
desidia ob-
esum cor-
pus reddit
& frigidū*

*Vnde color
bonus vel
malus.*

*Calor colo-
rem exci-
tat.*

*Frigus co-
lorem de-
populatur.*

*Color quis
frigidus.*

*Lividus
color.*

dem corpus glabrum est, nullisque pilis obsitum; capillus laxus ac mollis, rufi albique coloris particeps, & qui cito evanescat. Cutis tactu frigida, cui nonnulla adipis portio subest: quum enim calor in corpore humano languidus fit atque hebescit, adeps ac pinguedo in nascitur; quod quum muliebri sexui, tum plerisque aliis vsu venire solet, qui vitam desidem agunt, atque otiosam, quorum cuti, internisque membranis adeps subnascitur; eoque fit ut moderata corporis frigiditate pinguescat corpus, atque adiposum efficiatur; calore vero immodico, quod eo pingue liquefcit, macilentum fiat atque aridum. Sunt autem quam plurima non natura, primaque ab origine hominibus insita, sed adventitia, atque aliunde ascita, nempe vel ab immutata vitæ consuetudine, ac victus ratione, vel ab æstu, labore, desidia, solitudine, ignavia, metu, mœrore animi, ac plerisque aliis quæ multifariam statum corporis immutare sunt idonea; eumque nunc gracilem efficere, ac macilentum, nunc pinguem atque obesum; quæ etiam in colore conciliando non minus momenti obtinent; quæcunque enim calorem nativum excitant, ut risus, lætitia, exercitatio, vinum, colore florido faciem perfundunt; quæ vero refrigerant ac calorem opprimunt, ut aër frigidus, auraque plus satis gelida, immodicus aquæ potus, somnus immoderatus, frigidorum ciborum nimius vsus, timor, tristitia, sollicitudo, pavor, albo colore corpus imbaunt. Sic qui frigido corporis habitu constant, albescunt, ac candore perfusi sunt, nisi hæc qualitas ingrauescat, aut intendatur. Sic enim ad lividum accedit, ac plumbeum, qualem fere observamus hibernis mensibus flante Aquilone in hominibus, quorum genæ, nares, labia, digiti, aures liuescunt, ac frigore rigent, foedoque squalore deformantur; hoc tamen illis præstat frigus, ut cibi sint avidissimi, ac non facile satiari

tiari queant, licet illum minus concoquant: quod si
 ventriculi tunica vna cum frigiditate acido humo-
 re sint imbuta, insatiabili torquentur edendi cupi-
 ditate, ac nunquam finiendo ciborum desiderio:
 qui affectus Canina appetentia dicitur, quem sedat *Canina app-*
 vini meracissimi potus. Acui autem frigiditate ap- *petentia.*
 petendi vim, declarant acetaria, tum alia quaedam
 condimenta subacida, quibus aestiuis mensibus ap-
 petitum excitamus. Caterum quum calor insitus *Frigida*
 agiles atque actuosos homines efficiat, tum frigus *appetitum*
 desides, oscitantes, inertes, ignauos, somniculosos, *excitant.*
 atque ad subeundos labores vllasque actiones perfi-
 ciendas ineptos; quod iis desint instrumenta quibus
 aliquas functiones aut munia obire possint. Est e- *Frigidi mi-*
 nim huius constitutionis hominibus lingua inexer- *nus agiles.*
 citata, parumque expedita, vox mollis ac muliebris,
 facultates naturae inualidae, memoria minus firma,
 ingenium obtusum, mens stupida, animus ob calo-
 ris penuriam, ac spiritus vitalis exilitatem, pavidus
 ac meticulosus, quique ad leuissimum strepitum ex-
 pauescat. Hæc autem, & si quæ alia se proferant *Medela*
 naturæ vitia, pro virili corrigenda, adhibita salubri *frigidi cor-*
 diæta, atque exquisita victus viuendique ratione, *poræ.*
 quæ consistit in calidi humidique temperamento.
 In primis autem in hoc corpore excitare ac fouere
 insitum calorem expedit cum exercitatione ac vino
 meracæ; tum alimentis calorificis, cuius generis sunt
 alites quæ se volatu exercent, passeruli, miliaria, fri-
 gilli, vulgo *Fincken*, columbæ, perdices, phasiani, me-
 sulæ, turdi, ficedulæ; atque inter cicures, capi, ac gal- *Alites*
 li gallinacei: nam anates, olores, anseres, fulicæ, *concoctæ*
 mergi, ardeolæ, aliæque aquaticæ volucres valen- *difficiles.*
 tem ventriculum exigunt. Quæ vero quadrupedum
 generi adnumerantur huic naturæ accommoda, sunt
 vituli, verueces, porcelli, cuniculi. Inter arboreos
 vero foetus, & quæ ex terra cultu atque industria ho-

*Cibi apti
frigidus.*

*Proventus
hortensis.*

*Condimen-
ta salida.*

minum proueniunt, amygdalæ dulces & amaræ, nucleï perficorum, dactyli seu palmulæ, ficus aridæ, vug passæ, exemptis vinaceis, passulæ Corinthiæ, nucleï pinci. Et quoniam hortorum prouentus multa nobis in hunc vsum suppeditat, ea quoque referre visum est, quod passim obuia sint, ac minime sumptuosa, aut vllius pretii: cuiusmodi sunt apium hortense, quod petroselinum vocant; pastinacæ aliquot species, eringium, sisarum, carduus, cinara, & artiococcus dicitur, napi, raphanus, seu vulgaris radícula, cicer, nasturcium, eruca, mentha, absinthium Ponticum, & quæ brumali tempore in condimenti vsum veniunt, cæpe, allium, porrum, aqua macerata, quo graueolentiam deponant; aut si quis horum grauitatem ferre nequeat, exotica aromata, quod passim Germani ac Britanni factitant, vt sunt zingiber, crocus, piper, cardamomum, casia, quæ veterum cinnamomum creditur, nux myristica; aut si tenuioris fortunæ homines sumptum ferre nequeat, ea quæ illis facultate ac viribus respondent, ex domestico fundo decerpant, nempe rosmarinum, ocymum, vulgo basilicum, cunilam seu satireiam, origanum, amaracum, vulgo maioranam, anethum, saluiam, melissophyllon: his enim ac plerisque aliis expugnari possunt naturæ vitia, ac corpus sensim ad securiorem habitum reduci. Si enim huic qualitati accedat siccitas, non potest vita quæ in calido humidoque sita est, diu subsistere; sed necesse est illam euestigio morte terminari; qua de re sequenti capite fusius differere institui.

De sicco aridoq; corporis habitu.

C A P. IX.

QUum sicca corporis habitudo frigidæ affinis sit & cognata, illique proxime assistat; quid de hac itatui debeat, & qua ratione expugnari possit, obiter

obiter indicabo. Sunt autem duæ qualitates pari propemodum intervallo ab optima temperie remotæ, in quamcumque etiam ætatem inciderint, licet in senectute sicca intemperies ægrius expugnari possit, quam in adolescentia, ubi ex morbo is habitus contractus est, aut ex incontinentia, vitæque intemperantia huc deventum est. Ut enim senes ætatis ratione, atque annorum decursu, effæto, arido atque exhausto corpore efficiuntur; ita iuvenes ex deprauata vitæ institutione, ex intempestiva vigilia, immoderata Venere in frigidam, siccamque intemperiem incidunt, atque absumpto vitali humore non secus, quam senes, licet properantius, atque ætate immatura, naturali morte vitam finiunt; quæ ea ratione naturalis dicitur, quod omnibus immineat, ac declinari euitarique nequeat. Neque enim senium aut hominis interitus naturalis statui debet, ut auctio & nutritio, quæ naturæ opera existunt, & quibus se facultas naturalis propagat ac tuetur: sed quod necessario, ac naturæ cursu atque ordine consequatur. Ille siquidem est naturæ ordo ac series, rerumque existentium fatalis quædam continuatio, ut omnia orta occidant, & cuncta senescant; alioqui improprie parumque apposite mors naturalis diceretur, quum præter naturam potius sit, vitæque nostræ aduersetur. Si enim morbus, quem mortis instar deputo, est habitus contra naturam, qui actionem eius vel vitiat vel impedit; quanto magis mors, quæ vitam abolet, ac despoliat, censeretur debet naturæ contraria? Nihil enim naturæ legibus repugnantius, quam extinguere, luceque suavisima ac spiritu privari. Quod in se quisque experiri potest, si quando subit animum eius rei cogitatio, quæ eam trepidationem, terrorē, formidinem incutit, ut nisi mentē alterius vitæ certissima spes & expectatio fulciat, nisi foret humana

*Senectus
præmatura.*

*Mors naturalis
quæ rationis.*

Mors contra naturam.

*Si morbi
formidabilis,
ergo mors.*

fit
de
fir,
iter

*Mors quibus for-
midabilis.*

*Peccatum
morbos ac
mortem
inuexit.*

*Sapien. 2.
Galen. De
marcore.
Plato in
Phaedon.*

*Duo mor-
tis genera
hominibus
impendent.
A ruinosiss
adibus si-
mile.*

*De Sene-
ctute.*

*Elegans
compar-
atio.*

vita calamitosius, nihil afflictius. Siquidem quid nobis metum, anxietatem, desperationem, diffidentiam eximeret, ni concepta in Deum fiducia, in aeternas sedes mens esset defixa? Mortem autem non inuexit natura, communis rerum parens, summique opificis instrumentum; sed vitiorum corruptela, ipsaque a prima mundi origine peccati labes hanc cladem, hoc mortiferum vulnus, hanc letalem plagam inflixit. Itaque mors non naturæ, sed consequentiæ ratione naturalis dicitur, quod *omnibus ex quo impendat, illiusque sinibus omnia concludantur.* Quam autem duo constituantur mortis discrimina, alterum violentum, naturale alterum; ea mortis species philosophis ac medicis naturalis dicitur, quæ citra vllum doloris sensum senibus, & quotquot in senilem affectionem, hoc est, frigidum & siccum habitum deuenierunt, obuenire solet: in his enim corpus moribundum animam, non anima corpus deserit, quo ut sensim placideque sopiantur, & quodammodo obdormiscant; quum alii qui casu, ruina, igni, ferro, angina, pleuritide, peripneumonia, aliisque morbis qui in humorum plenitudine consistunt, opprimuntur, violenta morte intereant, atque acerbe cum illa colluctentur; sic ut anima corpus derelinquere cogatur, uti hospes ædes ruinosas, vi tempestatum conquassatas ac conuulsas. Hinc apposite Cicero, adolescentes, quique in ætate florida constituti, succulento corpore existunt, ac vegeto, sic obrui statuit, ut quum affluentiore aqua flamma opprimitur; senes vero ut ignis, qui sua sponte, nullaque adhibita vi extinguitur. Quantum autem fumi ac fuliginis, quas fauillas in aëra diffundi videmus? quos edistrepitus ac stridores? quæ ex concursu scintillarum crepitacula? vbi luculentum ignem, aut incensos lignorum acervos effusa aqua restinguere tentamus. Ex quibus coniecturam facere licet, quanta sit in iuuenili

uenili corpore luctatio, quam acris pugna, qui tumultus, quæ concertatio; cum violentia morbi, vel alio fati genere inexhaustus naturæ vigor, calor feruidus, spiritus alacres ac viuidi suffocantur: quo spectat scita illa ac concinna Ciceronis comparatio; Quemadmodum poma ex arboribus si cruda sunt, velluntur, matura ac cocta, sponte vel leui tactu decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Hæc quoniam ab instituto non sunt aliena, præfari visum est, atque inculcare studiose, quo quisque ab incunte ætate, primisque annis declinet quæ corpori infesta sunt, ac minus cõmodam valetudinem constituunt, seu extrinsecus incidant, seu ex internis causis proueniant. Quisquis itaque præmaturam senectam euitare velit, ac vitam proferre longius, eamque quam maxime diuturnam efficere, quum multis quæ vitæ nostræ insidiantur, tum potissime siccæ corporis habitudini obsistere curet, ab eaque esse remotissimus; quod qua ratione obtineri possit, post descriptas huius status conditiones ac notas, quam possum dilucide explicabo, commonstrata proxima ac compendiaria via, qua id perfici queat: id enim futurum est philomusis, virisque politiciis salubre cum primis ac frugiferum. Quibus itaque corporis habitus vel natura, vel progenitorum origine, vel ascita aliqua vitæ consuetudine, nempe inedia, sollicitudine, vigilia, mœrore animi, labore immodico inductus est, corpore fere conspici solent gracili atque extenuato, cute vbi siccitas augetur, scabra, squalida, strigosa, vt equis assolet, quibus nulla saginandi cura adhibetur; colore deformi, lurido ac giluo; vbi ad extremum deuentum est, aspectu horrido, vultu tetrico, facie cadauerosa, illuue obfusa ac macie confecta; obiter talj prorsus specie, qualem expressit Ouidius in describenda Inuidiæ larua; siquidem,

*Ut corpus
diu subsi-
stat.*

*Nota sicco
habitus.*

*Simile ab
equis ma-
cilentis.*

*Lib. I. Me-
tam.*

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies: liuent rubigine dentes,
Risus abest, nisi quem visi mouere dolores:
Nec fruitur somno vigilantibus; excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitq; videndo;
Successus hominum capisq; ac carpitur una.*

*Caluitium
ex humoris
penuria.*

*Cerebrum
aridū quid
efficiat.*

*Memoria
stabilis un-
de.
Ab astris
fractile.*

Et quoniam siccitas humorem omnem depascit ac depopulatur, capillo sunt raro, & qui cito defluit; unguibus aduncis atque incuruis; voce obtusa atque exili, quæque aliquando stridore quodam prodeat siccitate exasperante vocalem arteriam; pulsu languido; ingressu tardo; oculis reconditis atque excauatis; labris pallidis; collapsis temporibus; genis pendulis, frigidis contractisque auribus; statura minus procera: somno vero, qui est omnium laborum ac solitudinum suauissimum perfugium, ob cerebri squalorem tenui ac modico. Quod si cerebrum penitus arefcat, ac si torridum, nulla fere memoria existant, sed obliuiosi, ac mente ignaua, minusque erecta: quum enim spiritus desint; qui, vt vapor lucidus & syncerus, ex sanguine puriore caloris munere emanant, vim conferant in exercendis actionibus, fieri nequit vt facultates naturales illorum viribus destitutæ suas functiones obeant. Sin vero nonnihil vigeat animalis virtus ac potentia, nec cerebrum caliditate prorsus sit destitutum, memoria stabilis est ac firma. Quum enim humiditas immodica obliuioni causam præbet ac desipientiæ, vt infantes ac temulenti demonstrant, tum moderata siccitas memoriam fidam animique prudentiam parit modico calore adiuta. Splendor siquidem siccus mentem prudentissimam statuit; quantum autem humoris accesserit, tantum prudentiæ adimitur; quod etiam in cælo minus sereno perspicimus: non enim collucet astra aut splendescunt, nubibus aut nebulosa caligine offusa. Quod autem nonnulli senectutis metas

metas ingressi delirent ac sint obliuiosi, quum hæc ætas maxime sicca prædicetur, non ob siccitatem id euenit, sed frigiditatem, quæ omnibus palam munis animi officit atque aduersatur: ex illa enim amentia, alienatio mentis, stupor, deliratio, ac sensuum inopia proueniunt, quibus naturæ virtutes ita obruuntur, vt vel languidæ, vel nihil omnino functiones suas obire possint. Quum itaque memoria perit, vel affecta est, frigida subest intemperies, quæ expugnari debet moderate calidis; nam humectare aut arefacere consultum non est: sed si frigiditas humiditati copuletur, exiccare; si ariditati, madefacere atque irrigare. Cæterum si non prorsus firmata sit ac radices egerit ista qualitas, hæc iam memorata signa atque indicia non exacte, nec ad amulsum descriptioni respondent: verum inualescente sensim intemperie, indies magis magisque se ostentant ac proferunt; quod iis potissimum vsu venit, quibus hic habitus non naturalis, sed aduentitius est, aut fortuito atque ex accidente, vel morbosa aliqua affectione atque animi ægritudine aduenerit; nam temperamenta multiplices variasque mutationes sustinent: plerisque enim calor dum humorem absumit, siccam intemperiem adfert, nonnumquam nimia humiditas calorem extinguit; multis intensa frigiditas siccitatē inducit: quæ intemperies nature aduersissima, vt quæ intempestiuo senio ac præmatura morte hominem conficiat. *Corpus autem cuiusque intrinsecus siccum efficitur, quum nec adtrahere in venas alimenta valeat, nec iis sufficienter frui: quo fit vt præcipuæ partes ac viscera concoquendis cibis destinata are-
scent; reliqua vero excrementis purgandis accommodata humoribus pituitosis redundant: quæ res nonnullis imposuit, qui senes humido esse corporis habitu sunt suspicati, quum solidæ partes, artæriæ, panniculi, membranæ, nerui, musculi non*

*Quomodo
memoria
instauran-
da.*

*Habitus
corporis
mutatio-
nibus ob-
noxius.*

*Galen. li. 5.
De tuend.
valet.*

humescant: sed ipsę capacitates ac sinus, tura meatus qui corpori subsunt, ac homini ad excernendos humores superuacuos inseruiunt, humiditate aliena implentur, eoque fit vt corpus ob calorem imbecilem atque inualidum nutriri desinat; denique in extremam siccitatem deoluatur. Quare non iniuria Galenus hunc corporis habitum deterrimum censet; siquidem quod temporis spacio senescentibus accidit, id adolescentibus nonnullis statim ab initio contingit: quocirca illos humectare ac calefacere oportet exercitatione moderata, nutrimento humectante & calido, præsertim vino calorifico ac subdulci: austera enim & acerbata (quale est nostrum Pictonicum) quum huic constitutioni, tum maxime senibus inimica, nisi zaccharo aut melle dulcescant; quod etiam in lacte exhibendo obseruari debet: cuius vsus illis commodus, vbi huiusmodi condimenta adhibentur. Sic enim nulla ex his incidit obstructio, nec vllus futurus est in renibus calculi metus: quibus nequando obnoxius esse contingat, quod ex crasso lentoque humore, ac cibo concoctu difficili euenit, quæ oppilationes expediunt, ac lotium molliuntur præscribenda, vt sunt apium hortense, asparagus, vesicaria, gingidium, cuius naturæ nostrum chærephyllon, saxifragia, crithmon, vulgo *Crista marina*, quæ in Galliis copiose prouenit, betonica, adianthos, rosmarini flosculi; & si alius sit astrictior, mercurialis, fumaria, cnicus, vulgo carthamus cum ptisana, brassica marina, ex carniū elixarum liquamine, malua, atriplex, blitus, lapathi genera, vrticæ, lupi salictarii, ac sambuci turiones seu cacumina, vernis præsertim mensibus; aut si quæ alia æstate atque autumno vigent, vt sunt cerasia, pruna, ficus, mora, primis mensis illata: nam quod Horatius docto quidem ac eleganti carmine mora commendauit, eaq. postremo peractoque prandio edenda consuluit,

non

*Lib. 6. tñe.
valetud.*

*Vinum
vinus ge-
nerosum.
Lactis v-
sus.*

*Urinã pro-
uocantia.*

*Quo aluti
soluunt.*

*Mora quo-
modo e-
denda.*

non ex artis medicæ, aut salubritatis ratione id fecit, sed ex communi usu ac vulgata consuetudine, quum inquit,

— ille salubres

Æstates peraget, qui nigris prandia moris

Finiet, ante grauem qua legerit arbore solem.

Hæc siquidem, vt vux, persica, torna, & quæcunque æstate diu asseruari nequeunt, cibos præire debent; nam præpostere assumpta putrescunt, ac corpori corruptelam inferunt, ventremq. flatibus distendant. Brumali quoque tempore multa obuia sunt, quæ aluum laxam efficiunt, quæque intestina proluunt, vt est mustum, carica, hoc est ficus aridæ, atque vux passæ, quæ in fiscellis reconditæ ex Hispaniis in has oras deferuntur, pruna Damascena, eaque vel elixa, aut liquore aliquo macerata, cui plusculû zacchari aut mellis admixtum sit; quibus accedunt quæ exiguam medicamenti vim obtinent, Sena, polypodium, mel aëreum, vulgò manna, epithymus, cassia fistularis, ac cylindræa, rhabar. atque hebeni, hoc est, ligni Indici dilutum, myrobalani, thamar seu dactyli Indi, eaque omnia vel ex sero lactis, vel iure gallinaceo. Et quoniam non solum senibus, sed omnibus qui morbosæ alicui affectioni obnoxii sunt, nihil resina terebinthina in sanitate tuenda, profligandisque morbis salubrius, hæc quoque prædictis annumeranda. Siquidem non solum aluum citra noxam soluit, sed viscera omnia, internasque partes, iecur, splenem, renes, pulmonem expurgat, modo perlucida sit, non adulterina, nempe ex latice pinea vel abiete lecta. Sum enim efficacissimam hanc expertus in eliciendo suppresso lotio, in comminendis calculis, in stranguria, atque vrinæ stillicidio, huceroso ac fædo, quem Belgæ vocant, *Den druyper*; in podagra ac chiragra, in pudendorum atque obscenarum partium affectibus etiam a contagio Venerea

Lib. 2.

Sat. 4.

Terebinthina efficacissima.

*Galen. li. 3.
Tuē. valet.
Lib. 5. Tuē.
valetud.*

*Terebin-
thina pra-
paratio.
Terebin-
thina in li-
quorem
redacta,
poculenta
fit.*

*Biest.
Roem.*

*Somni v-
nitatis.*

contractis; in expugnandis internis doloribus, quos idem morbus inuexit, quorum nonnulli ossibus videntur infixi, quod membranae, nerui, musculi, tendones qui ossibus adherent, humorum sauitia contundi ac dilaniari contingat. Quum autem Galenus nucis Ponticae, vel auellanae magnitudine, nonnumquam duarum aut trium hanc exhibere soleat, tum ego quo commodius dimanare in venas partesque corporis vniuersas subire possit, in potionis formam conficio, ac liquore aliquo stillaticio, aut vino diluto: absque igni enim liquefcit, candoremque eximium agitatione continua asciscit, quod in hunc modum perfici solet: Terebinthinae Pisticae, hoc est, probatae, & cui tuto citra ullam fraudis suspicionem possis fidere, unciam aut sextantem in mortario pistillo dissoluo, adiecto lutei seu vitelli oui pusillo, deinde admisceo certis vicibus aquae vesicariae, vel apii, vel alterius liquoris (vt exigit morbi natura, aut hominis conditio) uncias duas aut tres, haec tantisper subigo, dum omnia coalescant, mixtura tam suaviter candore lacteo albescit, vt collostro, aut Belgis vocato cremori prorsus reddatur assimilis, nec aliud esse sibi persuadent, quibus huiusmodi potiones ebibendas offero. Soleo quoque eam in orbiculos ac catapotia, quas pilulas vocant, redigere, atque inuolutam pane azymo ex amylo confecto, qui lauore perpolitus Pontificiis canonibus *hostia* vocatur, quod hoc sacra peragantur, deglutienda exhibere; vel denique Cydoniato (carnes Cotoneorum vocant) in crustare, prius terebinthina aqua rosacea, aut feniculi elota, quo resinatum saporem exuat. Caterum quum nihil sit huic constitutioni quam describendam suscepimus, somno placido salubrius, quod eo membra vndique irrigari contingat, ac tepori perfundi, illi in culcitra mollius subacta largius ac liberalius indulgendum: est enim nocturna quies corporis

corporis mentisque laxamentum ac refocillatio,

Pax animi quam cura fugit, quæ corpora duris

Fessa ministeriis mulcet, reparatq; labori.

Quod si discusso somno, frictioni insistant inter mollem ac durum mediocri, dici vix queat, quantum commodi ex ea sint percepturi. Siquidem vitale robur excitat ac moderate calefacit; denique efficit ut distributio in corpus fiat facilius, ac nutritio promptior, præsertim si vncta manu vel subuideo panno ac villosa perficiatur: quis enim non percipit manus, genas, brachia, collum, aures confricatas rubescere, atque effuso in illas partes sanguine calorem concipere? Et quamquam defricandi vngendique vsus apud nos in dissuetudinem venit, atque exoleuit, eo tamen veteres in constabilienda valetudine, firmandisque viribus crebro vsi sunt. Sic Augustus Cæsar aliquando conspicatus Pollionem comitem annum centesimum prætergressum, sciscitatus est, qua ratione obtinuisset vires tam validas, tam crudam viridemque senectam: qui respondisse dicitur: Intus vino, foris oleo. Neque enim ad luxum atque effœminatas mollesque delicias vnguentis atque oleo abusi sunt superioris ætatis homines, sed in sanitatis tutelam, & quo morbis minus essent expositi. Vnctiones enim & frictiones certa ratione ac modo adhibitæ (sunt enim Galeno teste complures differentiæ) corpus vel densum præstant, ne aëris ac ventorum impulsu feriat; vel rarum, ne interna humorum fuligine stranguletur. Sic dura corpus cogit ac condensat. Mollis, laxat ac resoluit: Multa, extenuat atque imminuit: Mediocris, augendi implendique vim obtinet: Aspera, ad extimas partes elicit: Lenis, nihil adimit, sed vim in partibus retinet. Ex his frictionum generibus illa quæ in mediocritate consistit, seniculis ac macilentis ex vsu est. Ut enim

*Frictionis
vsus.*

*Pollionis
scita sen-
tentia.*

*Intus vi-
nam, foris
oleum.*

*Lib. 2. Ten-
end. valet.*

*Frictionū
differentiæ
sex.*

*Simile est
rigido co-
rio.*

ocreæ duriores ac coria quæ obrigescent ac situ ob-
 ducta sunt, macerata oleo mollescent; sic senum,
 atque aridorum corpora, intus vino, foris oleo per-
 fusa ac mitigata, seueritatem exuunt. Quod au-
 tem olim multiplex fuerit vnctionum vsus, præter
 Euangelicas conciones, præter Solinum & Plinium,
 Strabo quoque testatur, qui Indorum mores con-
 scribens; *Medicina*, inquit, *plurimum apud eos per cibos*
perficitur, non autem per medicamenta; ex medicamentis ma-
xime vnctiones probari & cataplasmata cetera, ut illi sentiunt,
malesicii non esse expertia. Illis enim morbos propulsa-
 re solent, æstum mitigare, lassitudines discutere, ac
 defatigatas vires, sopitosque spiritus erigere, quem-
 admodum nos odoribus animam fouemus, ac facul-
 tates naturæ collapsas instauramus. Nec minus vti-
 litatis huic corpori adfert aquæ dulcis calidum bal-
 neum; humectat enim & calefacit; lassitudinem dif-
 soluit; duras densasque partes emollit; humorum
 redundantiam quæ cuti subest, per halitum dissipat;
 flatus resoluit; somnum allicit: quoniam madore
 suauis, ac rosido vapore cerebrum imbuit. Naturalia
 vero balnea, seu thermæ quæ ab alumine, ferro, cal-
 ce, ocre, sulphure, nitro, bitumine, plumbo, ære, cu-
 pro vires sortiuntur, non vsque quaque huic naturæ
 accommodæ, nisi quis consulto fido expertoque
 medico, corporis sui conditionem illi exponat, atq.
 explorandam offerat, quo possit dispicere, an tale
 quiddam aggredi expediat. Venus autem seu con-
 cubitus quum siccis omnibus naturis inimicus, tum
 iis qui præter siccitatem frigidi quoque existunt, no-
 centissimus; nec minus noxia nimia exercitatio, las-
 situdo, vigilia, sollicitudo, inedia, mœror animi, ira-
 cundia, quæ raro quidem horum mens exardescit; at
 vbi incanduit, quæ non facile sedari queat. Et quo-
 niam intempestiua lucubratiō studiosos fatigat, ac
 corpus macie conficit, illi quoq. modus statui debet.

Videre

Luc. 7.

Lib. 15.

Vnctionis
vsus vetu-
stus.

Artificia-
le balneū.

Naturale
balneum.

Quæ præ-
ter Venere
siccis no-
xia.

Nocturna
lucubra-
tiones no-
xia.

Videre siquidem est nonnullos qui literis continenter addicti, nullam valetudini, cuius fulturis animus subsistit, operam impendunt, colore esse exanguis, minusque florido, corpore extenuato, ventriculo inualido ac languenti, attritis deiectisque viribus: nam quum se nocturnis vigiliis macerant, ac studia in multam noctem producant, ex intentione immodica spiritus animales resoluuntur, atque humiditas natiua exarescit. Quocirca adhibenda moderatio, ac ne corpus assiduo meditandi labore exhaustum contingat, illius incolumitati sedulo insistendum; nam ut Plutarchus asserit, *Omniū bonorū quæ præstat homini cultura animi, nihil excellentius dari potest corpori, quam ut omni careat impedimento vel ad virtutis cognitionem, vel ad usum vitæ necessarium.* Si quando enim morbus incidit, aut capitis vertigo oboritur, confestim mens corporis adminiculo destituta languescit; nec se alacrem ac vegetam præstare potest in exercendis animi muniis, sed vna cum collega, omniumque laborum socio ac comite afficitur, parique incommodo inuoluitur. Quo recte monuisse Platonem accepimus, ut neq. corpus quis exerceat absq. animo, nec animum sine corpore; sed veluti coniugii cuiusque æquilibrium conseruet, ac consensum vtriusque, æqualitate maritali conspirantem. Quum itaque insitus calor exercitatione motuque corporis augetur ac vires concipit, animusque fit erectior, ac reuiuiscit; danda cum primis opera, ut studiosi quique, & quotquot valetudine vacillanti sunt ac dubia, huic assuescant, præsertim illi exercitationis generi, quod nullam adfert lassitudinem, atque intra mediocritatem consistat; qualis est concinna vocis modulatio, ac clara, sonique intensioris lectio vel declamatio; dici enim vix queat, quantopere illa spiritus excitent, ac fuliginem densasque nebulas cordi offusas discutiant. Interim hoc accurate obseruari

Cura corporis non negligenda.

De Tenend. valetud.

Corpus & animus mutuo afficiuntur.

Simile a consensu conubiali.

Salubris exercitatio studiosis.

debet, ne quis vuidus, ac vino immodice perfusus, ciboque distentus, incondite vociferetur. Siquidem inæqualis spiritus, ac violentus clamitandi impetus vocalem arteriam exasperat, ac nonnumquam vel inflammationem gutturis, vel ruptis venarum fibris, cruentum sputum inducit. Non desunt autem alia oblectamenta, quibus huiusmodi conditionis homines se reficere possint, remissisq. studiis atque occupationibus, animum relaxare moderatis conuiuiis. atque inter hæc festiuis lepidisque sodalibus qui seueritatem rebus seriis, iocosis leporem adhibere norint, ac sermones, dicendiq. peritiam temporis, ætati, personæ, vitæq. utilitati accommodare; sic vt ea proferant quæ tam sint vsui auditori, quam oblectamento; in quo pleriq. a decoro deflectunt, nec magnam apud conuiuatores gratiam fauoremque ineunt, quod eos sermones mensis inferant, qui nec temporis deseruiant, nec utilitate ac venustate auditores afficiant. Quum enim de rebus anxiiis ac tortuosis differant, difficilesq. atque arduas quæstiones agitent, assidentibus graues sunt ac molesti: Sic pleriq. in vehiculis, pistrinis, compitis, nauigiis, imo inter spumantes pateras, de rebus diuinis controuersias mouent, ac de religione disceptant, sed vt saturi de frugalitate, quod genus hominum iure optimo perstrinxit olim Persius in re minus seria, quum inquit;

Satyr. 1.

— ecce inter pocula querunt

Romulide saturi, quid diu poemata narret,
Quin potius Horatio sic admonenti acquiescant;

Lib. Ser. 2.

Discite non inter lances, mensasq. nitentes.

Satyr. 2.

Quum stupet insanis acies fulgoribus, & quum
Acclinis falsis animus, meliora recusat;
Sed verum impransi semper disquirite; cur hoc?
Dicam si potero: Male verum examinat omnis
Corruptus iudex.

Hinc

Hinc enim est, quod multi qui versantur in summa rerum diuinarum ignoratione, affectibus impotentius indulgeant; quod scopum in quem defigenda mens, non attingant; quod scrupulis se torqueant; quod de rebus manifestis ambigant, ac dubitationem mente concipiant; quod animus doctrina parum sincera imbutus, ac superstitione cōtaminatus vacillet ac fluctuet, nec in tutum portum, fidamque stationem, sed in humanarum opinionum atque errorum scopulos deferatur. Quoniam itaque mens hominis varie intra se tumultuatur, nec in opinionibus, dictis ac factis, omnique vitæ ratione satis firmiter constantiam tuetur, nulli non persuasum cupio, si pacatus esse velit, vitamque suauiter agere exoptet, vt omnes suas actiones, consilia, mentisque conceptus ac cogitata, quæ vel aggredi vel perficere meditatur, in certa ac discriminata tempora partiat ac distribuatur, suasque vices cuique functioni assignet, nec alterum alteri admisceat aut inuoluat; quæ etiam Ecclesiastæ mens est, ac sententia, qui rerum tempora ex ordine vitæ diuidens, cuiuslibet eorum quæ geruntur, officium attribuit, sicut nox quieti destinata, excussis quæ obrepunt phantasiis, somno transigatur, nec patiatur quidquam diurnorum negotiorum menti inharere. Edendi vero tempus, reficiendi corpus, viribusque inaurandis assignatum, ita obseruet, vt auersa a rebus aliis cogitatione, excussisque molestiis, in patinas oculos habeat defixos, nec sinat se interpellari, aut a suauioribus ferentis ac salubri victu abduci. Sic in delibandis concionibus, in perficienda precatatione, in obseruandis obeundisque sacris, singula quæ tale quiddam meritanti officere possunt, excludi debent, atque abigi, quo mens sola in Deum erecta, non alio quam in maiestatem numinis rapiatur. Hoc quoque in publicis priuatisque rebus, in forensibus ac domesticis,

Quid a pietate nos abducat.

Ne animus curis distrahitur.

Eccles. 3.

Actiones quotidiane suo quoque tempore atque ordine procedant.

in exercenda mercatura ac negotiandi industria, obiter si tecum quid agas, aut cum aliis contrahas, obseruari debet; quod hac instituendæ vitæ ratione ac stabilitate maxima commoditas, ac fructus vberimus, in peragendo huius æui stadio percipiatur.

De Humido corporis habitus.

C A P. X.

Quoniam autem Humidum primigenium nativum caloris fomes existit, vitamque alit ac conferuat, ut oleum in elychnio flammam, temperamentum non prorsus pœnitendum constituit. Est enim quum Medicis, tum Philosophis humida temperies laudata, nec penitus visa a naturali dispositione aliena; quamquam enim in initio ac primis annis paulo deterior censeretur, ætatis tamen ac caloris accessu, præstantior euadit. Siquidem humiditatis calorem prompte concipit, atque illius actionibus obsequitur, utque argilla vda, subigi se fingi patitur. Quocirca ad nutritionem mirifice confert, atque ad longitudinem, proceritatem, augmentum, plurimum adminiculatur: tamen enim humiditas cæteris functionibus officiat, atque perficiendis actionibus suapte vi nihil adferat adiuventi, sed prorsus inefficax sit & inualida, quum nec attrahere idonea sit, nec continere, nec expellere; calore tamen perfusa non nihil efficit, atque in alterandis iis quæ inter se coniuncta sunt, illi qualitati assistit, atque auxiliatur. Ut enim aqua, quæ non minus frigida, quam humida percipitur, ignis ardore concalescens cruda elixat, eaque esculenta efficit: ut denique oleum, subditis sartagini prunis, aut accensis carbonibus feruet, ac pisces fixos esui efficit idoneos; sic insita corpori humano humiditas calore nativo imbuta, multa in corpore perficit, ut Luna in terra Solis radiis ac splendore illustrata. Quemadmodum enim hoc sidus menstruo decursu saltus reficit ac nemora, rebusque

*Humidi
status con-
ditio.
Simile ab
argilla.*

*Simile a
feruenti
aqua &
oleo.*

rebusque terrenis auctus & incrementa confert; æstus marinos concitat; sinus, portus, stationes, littora, accessu recessuque reciprocante fluctu nunc implet, nunc deserit, ut ostrea, conchyliæ; sic salutaris vitalisque humor membris undique perfusus corpus madidum efficit, atque irrigat: eoque fit ut huiusmodi naturæ homines longævi efficiantur, atque ætatem in multos annos proferant, si accedat moderatio, nec humiditas calore destituta plus satis inualescat. Ut enim affluentior aqua ignem extinguit; ita nimia humiditatis copia calorem nativum opprimit. Quod si moderate inter se hæc qualitates consistent, nec humor, quam par est, sit redundantior; nec calor plus satis remissus, aut languidus qui humiditati incumbit, omnia naturæ munia exactissime perficiuntur. Siquidem quæ calor humorem obsequentem habeat, cibum attractum optime concoquit, atque in roris speciem redactum, in intimos abditosque corporis recessus recondit, utque assimilatur membris ac coalescat, efficit: itaque humiditas caliditatis munere ad nutrimentum conferendum mirificam vim obtinet, atque ut corpus tum augeat, tum extendatur præsidium adfert, in cæteris functionibus imbecillis atque inualida: neque enim vlla attrahendi, concoquendi, alterandi, digerendique vi pollet, sed nonnullam expellendi facultatem obtinet, ob lubricæ naturæ conditionem. Videre siquidem est illos, qui obesi sunt ac succulenti, vdoque corporis habitu, cito fere aluo esse ac profluenti ob retinentem facultatem parum firmam, & quod meatus laxiores humoribus transitum patefaciunt. In calidis vero siccisque corporibus contrarie euenit, ut quibus retinendi virtus robusta sit, expultrix vero ob ariditatem, & quod meatus collapsi sint, languida existat; quo fit ut in deliciendis excrementis, ac proluendis

Calor humidus.

Soli, humor Luna comparatur.

Luna vis in inferiora.

Similo ab aqua.

Calor humorem obsequens habet.

Sicci astricta, humidi laxa aluo.

*Pueri &
senes inter
secōtraria.*

*Humidi
corporis
signa.*

*Mulier
cur viro
magis co-
mata.*

*Simile ab
agris vel
humidis
vel siccis.*

*Oculi glau-
ci unde.*

intestinis, in tussi, screatu, vomitu, irritos aliquan-
do labores subeant, nihilque promoueant. Humi-
da itaque constitutio sicca aduersaria, omnia fere
cōtraria obtinet, vt pueri & senes. In etate enim pue-
ri calor innatus sensim augetur, atq. affluentia humi-
ditate perfusus, vsq. dum adoleuerit etas, ac virile ro-
bur cōsequuta est, auctus atq. incrementa concipit. In
senili vero paulatim calor deficit, absumtoq. humo-
re in frigidā siccāq. intemperiem, deniq. in mortē
homo deuoluitur. Quarum qualitatum conditio-
cum paulo ante a nobis descripta sit, orationis conti-
nuatio ac series exposcit, vt quibus argumentis, qui-
busq. indiciis humida constitutio deprehendi possit
atq. obseruari, demonstrare aggrediar. Constituit
autem hæc temperies, corpus contra quā sicca, mol-
le, non scabrum nec asperum, cute candida atq. al-
bescente, tum glabra, venis articulisq. parum expres-
sis, nec satis conspicuis, capillo plano, denso plerum-
que ac numeroso, quod in sexu muliebri perspicui
potest: nam & in puellarum vertice, modo sint pro-
gressæ paululum etatis, coma densior est, ac magis
quam adolescentibus, longa; hoc tamē huic corpori
nonnumquam vsu venit, quod solo palustri atq. vli-
ginoso, in quo ob immodicam humiditatē nulli in-
nascuntur frutices, nulla virescūt gramina, vt nec in
arida, terraq. ieiuna ac siticulosa. Siquidē vbi humi-
ditas affluentior existit, quam par est, rari emergunt
crines, quod desit calor, aut is sit impotētior, aut mi-
nus efficax, quā vt humorem qui cuti subest, in capil-
lamentum possit elaborare, ac laxatis meatibus foras
producere; qua ratione etiā efficitur vt crines colore
albo existant, vel spiceo, vel flauo, aut deniq. ruffo;
qui tamē progressu etatis, & vbi calor fit auctior, mo-
dice incipiunt nigrescere, quibus frons subest lata &
serena; oculi fere cęsi ac subglauci, qui color ex viri-
di & albo contēperatur; prominentes ac vegeti, ob-
cristal-

crySTALLINI humoris puritatē splendidi, gratiosa venu-
 state blandi; quæ omnia integritatis, placidi ingenii,
 sedatæ mētis, animi aperti ac simplicis, minimeq. fu-
 cati, postremo bonæ indolis (quæ humanitatis speci-
 men non dubiū nec fallax exhibet) sunt indices atq. *Humidi*
 argumēta: nihil enim iis subest fellis aut amarulētis, *corpore nō*
 vt cholera aut atræ bili obnoxii, quibus maligni hu- *malitiosi.*
 mores ad turbulentos affectus sunt incitamento:
 nam humido temperamento homines minus irrita-
 ri contingit, nec ira, nec vindictæ cupiditate diuexa-
 ri. Siquidem quum calor humorem non accendat, *Humidi ad*
 minus feruescit animus, pauloque mens est quam *iracūdiam*
 illis, sedatior. Quod vero ad corporis decus, ad spe- *minus pro-*
 ciem, formamque ac figuram spectat; sunt fere hu- *clives.*
 ius notæ homines statura mediocri, ampla magis, *Quæ for-*
 quam procera, ventre obeso ac protenso; quod non *ma ac fi-*
 solum a natura consequuntur, verum etiam a vitæ *gura hu-*
 consuetudine, ab otio, atque exercendi dissuetudi- *midis.*
 ne, a victu humectante, ac prolixiore somno, tum
 plerisque aliis, quibus corporis moles optima fit,
 atque ingrauescit. Possem equidem reliqua par-
 tium humani corporis signa, quæ se in humido ha-
 bitu proferunt referre, vt nasum fere simum ac
 depressum, circa extremum atque ima sui parte,
 qua in cartilaginem tractabilem definit, obtusum,
 inflatas tumidasque buccas, mentum rotundum,
 tum pleraque alia, sed ea singularem partium, non *Quaque*
 totius qualitatem ac naturam indicant, sic vt ex vna *pars suum*
 particula non liceat de toto corpore pronunciare: *tempera-*
 verū de quoquo membro proprio sumenda cōside- *mentum*
 ratio, tametsi magna ex parte membra naturam *obtinēt.*
 suam ac temperamentum ex principe ac præcipuo *Animi*
 viscere sortiuntur, nempe corde & hepate. Quod ve- *conditio in*
 ro ad internas notas attinet, Mens huius naturæ ho- *humido*
 minibus, quemadmodum & lingua eius interpres, *corpore.*
 minus agilis & expedita; quod immodicę humiditati

*Cur viri
femina
pruden-
tiores.*

Eccles. 42.

*Venus e
state viris
noxia.*

*Ruta in
fœminis
Venerem
acuit, in
viris ex-
tinguit.*

*Quæ vis
lumbos in-
cit.*

immersa, non facile proferre se aut illucere possit; ingenium nec acre nec eximium; animus humilis ac demissus, qui nihil sublime meditatur, ob imbecillitatem caloris, qui stimulos atque incitamenta ad res præclaras admouet; eoque fit vt viri magis, quam fœminæ sagaces sint, solertes, industrii; nam mulier omnia deterius perficit, nec ea vtitur dexterritate in negotiis peragendis ac contractibus; quo spectat ac referri potest id Sapientis; *Melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens*, caloris scilicet ratione, atque effectu; quo qui sunt destituti, eumque languidum obtinent, molles plerumque existunt, effœminati, inertes, somnolenti, ignaui, eneruati, atque ad excitandas proles minus appositi; quoniam diluta sit genitura, ac plus satis iusto humida; quo fit vt nequeat coalescere cum muliebri semine ac conglobari. Quamquam enim Veneris intemperantia vt plurimum ex lubrico vdoq. corporis habitu proficiscitur, illique hominum generi minus sit noxia, cum tamen calor humorem segnius impellit, nec genitales partes spiritu turgido impleat, ad concubitus segnes sunt, aut non magnopere illo afficiuntur: atq. hinc est quod mulieres optimæ atq. obesæ æstate magis sint salaces ac pruriant, quam hieme; quod calor æstius humorem accendat, ac Venerem stimulet; in viris vero extinguat: nam calore immodico virile robur resoluitur ac flaccescit. Pari ratione thymus, ruta, ac pleraque impense calida & sicca viris vim concubandi eripiunt, quod humorem genituum depopulentur; in fœminis vero acuant irritentque inducta obscœnis abditisque partibus caliditate; quo fit vt vbi genitalia frigescant, atque humor gignitiuus ab insito calore non inciterur, nec incalescat, ea exhiberi debeant quæ lumbos incitent, ac concitata tentigine humorem genitalem in excursu extimulent. Qua autem ratione isti valetudinem

dinem tueri debeant, atque a morbis se præstare im-
 munes, obiter indicabo. Principio, quoniam in ca-
 lidi humidique temperamento sanitas consistit, con-
 seruari debet ea constitutio humido victu, hoc est, a-
 limento illi familiari ac cognato, cui plusculum ca-
 loris inest; quale est vinum subdulce, lac, panis filigi-
 neus, ova subliquida, caro vitulina, ac suilla, porcelli,
 atque adultiores agni, aues aquaticæ & palustres, fa-
 bæ, castanæ, cicer, palmulæ, vuae passæ, ficus, amyg-
 dalæ, nuclei pini, vuae pensiles ac dulces, quales sunt
 Apianæ, quæ vulgo *Muscatura* dicuntur, pisces mari-
 ni, cerebella. Ex oleraceis, lactuca, atriplex, rapa,
 daucus, pastinaca colore rubenti aut purpureo, quæ
carota vulgo dicitur, melones, cucumeres; quorum
 tamen nimius vsus interdicens, ne corporis humi-
 ditas plus satis inualescat. Siquidem ex immodica
 humidi victus ratione pituitam coaceruari contin-
 git, humoresque frigidos ac glutinosos, qui letales
 morbos adferunt; nempe apoplexiam, spasmus ex
 plenitudine ac phlegmatis redundantia, lethargum,
 paralytim, epilepsiam, stuporem, qui excussa faculta-
 te animali, sentiendi mouendiq. vim eripiunt; sic vt
 animal derrepente, tamquam irati numinis vltione
 stranguletur, oppresso spiritu ac facultate animali;
 quocirca intra sanitatis ac temperamenti terminos
 limitesque conseruari debet huius corporis status,
 adhibita exercitatione, excussoque otio atque igna-
 uia; inprimis autem expurganda sunt corporis ex-
 crementa, atque exonerata aluo ac vesica, diluculo
 horisque matutinis obire exercitationes expedit, ac
 concitatore motu, vel ambulatione insitum calo-
 rem excitare. Quod vero ad somni rationem at-
 tinet, moderatus huic corpori esse debet, nec sex
 horarum spatio productior; præstat enim somno frui
 parcius, ac vigilia non nihil macerari, quam illo im-
 modice turgescere ac saginari. Siquidem videre est.

*Quem vi-
 etum exi-
 gant hu-
 midi.*

*Victus
 plus satis
 humidus
 noxius.*

*Moderatus
 somnus
 utilis hu-
 midis.*

*Humidis
 parce dor-
 miendū.*

illos qui somno ac ventri liberalius, quam par est, indulgent, tam obesos effici ac corpulentos, ut mentū pectori committatur, ac ut ait Persius,

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.

Quo fit ut nonnumquam inopinatis subitisque morbis opprimantur: nam quum venæ his & arteriæ exiles sint, & angustæ, tum sanguine & spiritu vacuæ, cito ipsis vel parvam ob causam calor natiuus suffocatur; quod Hippocrates designat, quum inquit; *Qui natura admodum crassi sunt, nec citius intereunt, quam qui graciles;* quod isti laxiores obtineant meatus, ac sanguinis conceptacula ampla, sic ut nō facile ab externis internisque causis offendantur; qui tametsi ex delicatiore victu, vitaque otiosa, ac somno immodico ad corporis plenitudinem nonnumquam deveniāt, minus tamen periclitantur oborta ægrotatione aliqua, quam quibus ab ineunte ætate is habitus obtigit: licet enim pinguedo, caro, adeps, iis adnascatur, qui primis annis gracili, tenuique corporis contextu extiterunt; venæ tamen & arteriæ, tum meatus reliqui ampli persistunt ac patentes; quod perspicere potest, si quando inclinata valetudo venæ sectionem exposcit: nō enim in ascitio habitu, quamlibet obesus sit effectus, venæ delitescunt, ut in iis quibus crassitudo naturalis est, sed se proferunt ac commode secandas exhibent. Quamquam itaque humidus corporis status, ubi illum calor foueat, laudabilis sit, quod vitam diuturnam ac longævam efficiat, quod senectutem remoretur, ac corpus exiccari prohibeat; si quando tamen ad summum progressus est, atque in extremo constituerit, periculosus. Quum enim oppletis venis corpus nutriri desinat, naturæque facultates quæ alimenta distribuunt, cessent atque ab opere desistant, nec habitus ulterius progreditur, necesse est, ut velut ruina quadam prolabatur in deterius, sic ut vel repentina mors imminet,

*Humidus
habitus
quando
noxius.*

vel

vel vasorum venarumque ruptura incidat. Quocir- *Habitus*
 ca mature solvere hunc habitum expedit, atque eua- *periculo-*
 cuatione moderata, inedia, vigilia anticipare peri- *sus.*
 culum; adhibita præscriptaque ea victus ratione, qua
 corpus ad securiorem, minusque ancipitem ac peri-
 culosam constitutionem posset reduci. Statui enim
 debet corpus ea ratione debere esse humidum, non *Humor ea*
 ob excrementi atque humorum redundantiam, sed *loris fomes.*
 a partium omnium ac totius humiditate temperata,
 qua calor huiusmodi tamquam fomite uti-
 tur, ac vitam maxime lon-
 gam efficit.

Libri primi De habitu corporis finis.

G 2





LEVINI LEMNII
MEDICI ZIRIZÆI, DE
HABITV ET CONSTITV-
tione humani corporis,

LIBER SECVNDVS:

In quo quisque graphice, atque ad viuum expressam
naturæ suæ conditionem atq. imaginem, tam-
quam in speculo, poterit intueri.

SENATI VI AMPLISSIMO AC SPE-
ctatissimis Coss. Imanno Nicolaida recondite eruditionis ac sin-
gularis ingenii, exactiq. iudicii viro, Adriano a Lissa Livini
F. viro sagaci atq. industrio, ceterisq. ciuibus ac
populo Zirizæo, Magistratui ad-
dictissimo,

L. LEMNIVS MEDICVS
S. P. D.



QVONIAM a me alias viri amplissimi scri-
ptis ac literarum monumentis illustratum est
ciuitatis huius decus & ornamentum, adeo ut
exteris quoq. innotescat, quo Magistratus vta-
ter consilio, qua dexteritate ac successu, in con-
stituendo Reip. statu; in constabiliendis sacratissimis legibus; in
spectandis fouendisq. ciuium ac popularium commodis; in e-
mendandis vitiosis erroribus, qui olim irrepsērunt vel conni-
uentibus, vel parum oculatis legum conditoribus; superuacuum
mihi visum est hac in re plus opera ac laboris impendere, aut
ambitiose multa congerere; magnos atq. operoso verborum ap-
paratus

paratu honores ac dignitates vestras amplificare, quum nihil aliud mediter, quam ut secundum lucubrationum nostrarum partum vestro ordini atq; amplitudini dedicarem. Neq; enim eius est conditionis vel animi vester LEMNIVS, ut ex una fidelia, iuxta proverbum, duos parietes dealbare velit: quod nonnullos factitare video, qui singulos libros singulis Patronis consecrant dedicantq; vel emolumentis spe, vel insidiosa quadam civilitate & aucupio, ut qui eblandita oratione, ac sermonis cum lenocinio, tum illecebra captent aliquid ac venentur. Quod quam sit alienum a nostris moribus atq; ingenio, superioribus annis editi a me libri abunde testari poterunt. Hoc enim unice specto, idq; sedulo eniti non desino, ut viros primarios obsequio possim demereri, meisq; civibus, quorum potissima pars literis existit, ac doctrina studiis assatim exculta, huiusmodi munere gratificari. Siquidem quum septem continuatis lustris rem Medicam apud vos exercui, nostramq; operam infimis aque ac summis prestare studui; hoc in tanto annorum decursu potissime fuit in votis, ut ars nostra, cui ex professo sum addictus, omnibus esset exposita, ac me pro virili parte exhiberem iis quibus cum versari soleo, cum fidum Medicum, tum syncerum minimeq; fucatum amicum. Ita enim edoctos decet esse nos, ca-

Vna fidelia duos parietes dealbare.

Ex Christi ac Pauli documento. Ad Roman. 5.

que persuasione imbutos, ut nulla non humanitatis officia prompte & alacriter, nullog; habito delectu in singulos exerceamus. Quae res effecit, ut propensa in meos ciues voluntate, ac iuandi studio, non dimidiata operis nostri pars, aut semisis, sed totum opus ex asse (ut Iurisconsulti loquuntur, quum herciscundae partiendaeq; hereditati insistant) cederet atque ascriberetur. Quamobrem viri integerrimi gratum acceptumq; esse cupio hoc munus quod vobis offero, vestrig; nominis favore ac patrocinio plausibili effici, omnibusq; studiosis commendari. Quod ipsum euenturum non vana spe, sed certa prope atq; explorata opinor, quum operi rudi ac primum inchoato multi inhiarent, atq; avidissime eius gustu explere sese cuperent. Valete,

Calendis Ianuariis, anno redempti

orbis, 1561.



LIBER SECVNDVS
LEVINI LEMNII MEDICI.

De composita humani corporis habitudine ac temperamento.

C A P. I.

*Humores
alimentis
augescunt
vel dimi-
nuuntur.*

*Humorum
fuligo mēti
infesta est,
ut vini
vapor.*

*Simile a
rebus igni-
sis.*

COMposita temperamenta ac iugata in quibus geminatae qualitates inter se implicatae ac connexae peculiarem corporis statum constituunt, quatuor, uti & simplices, differentias complectuntur, Calidam & humidam; Calidam & siccam; Frigidam & humidam; Frigidam & siccam; quibus totidem humores subsunt atque inseruiunt, per corpus undique diffusi, Sanguis, Pituita, Flava bilis, & Atra seu Melancholia; quae alimentis vel augescunt vel minuuntur, ac pro nutrimenti natura alias qualitates concipiunt, atque alii in alios prompte transeunt ac commutantur. Et quamquam humores isti, quorum vis corpus varie ac multifariam afficit, mentique etiam plerumque tetro atque insuavi halitu infesta est, ut vitiosum vinum cerebro elementa censerique nequeant, nec temperamentum constituerent, elementari tamen qualitate ac virtute imbutae sunt; utque tota moles subsistat ac conseruetur, non leue adiuumentum adferunt. Ut enim ignem fomite nutriri, atque accensas tædas, faces, funalia, lucernas, aliaque ignita affuso oleo, aut resinata pinguique materia ali videmus; sic elementares qualitates omnisque naturae vis & facultas ex vitali progenitorum semine in nos deriuata, nutrimentis indiget; nisi enim alimenta corpus fulciant, atque humoribus, quibus

quibus singula membra irrigantur, vires ac fomenta ministrēt, cōcidat necesse est, ac dissoluatur humani corporis compago & concretio; omnisq. naturæ vigor effluat, atq. in suum quodq. simile ex quo cōflatum est, aut cuius naturam in se continet, euanescat, seu ignis, aëris, terræ, aquæ sit particeps, aut vlli horū cognatum ac familiare. Omnia vero a se mutuo dependent, atq. alterum alterius subsidio fultum, stabilitatem consequitur. Nec est vlla pars in corpore humano tam minuta, tam vilis & abiecta, quin ad decorem ac conseruationem totius spectet, suoq. munere atq. officio non perfungatur; quod non solum de membrorum ac singularum partium vsu atq. vtilitate accipi velim, sed de humoribus qui corporis temperamentum alimentorum præsidio fulciunt, omnibusq. membri caloris natiui facultate ac viribus auctus & incrementa conferunt. Quocirca Hippocrates & Galenus non absurde quatuor humores naturales, quum nihil iis vitii subest, nec sunt deprauati, animantium sanguine præditorum elementa statuunt; ex his enim secundaria procreationis nostræ origo producitur. Siquidem materiam elaborandi foetus conferunt vberem quidem & copiosam, si corpus optimis cibis saginetur, ac subinde vino incalasciat: absq. illo enim languescit Venus, quod indicasse visus est Terentianus adolescens Chremes, qui sobrius odisse cœperat scortum; at vuidus affici eo cœpit, nec prorsus a contactu abhorrere, quo prouerbiali sententia profitetur,

*Verbum hercle hoc verum est,
Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

Nam testes partesq. genitales ex præcipuis membrorum humores inquisite elaboratas, in conficiendi seminis vsu alliciunt, quod efficaci atq. affluentivndique spiritu perfusum, caloris, omniumq. facultatum est opifex, ac præcipua propagandę sobolis parēs

*Concentus
& harmonia in corpore.*

*De natura humana.
2. De semine.*

Humores aliquo modo elementa hominis.

*Eunucho
Act. 4.
scen. 5.*

*Seminis
efficacia.*

*Ex sanis
sana pro-
duci.*

*Humores
qualitatū
quatuor
participes.*

*Elementa,
qualitates
humores
quatuor.*

effectorque existit. In eo enim consistit diuinitus infusa conformandi figurandique foetus vis admirabilis, sic vt speciosum producat opificium, ac spectabile, omnibus suis numeris absolutum, modo ex salubri corpore profluat: monstrosum vero ac deforme, si ex morbido ac purulento dimanat ac deriuatur. Quocirca vt orationis series lectorem magis afficiat, ipsumque argumentum sit plausibilius, ac magis populare, dominantium in corpore humorum naturam & conditionem depingam, vt quibus similes qualitates incumbunt: nam Sanguis calidi & humidi; Flaua bilis calidi & sicci; Pituita frigidi & humidi; Melancholia frigidi & sicci est particeps. Itaq. temperamentum calidum & humidum sanguineo homini accommodari non absurde potest; Calidum & siccum bilioso, obseruata de reliquis eadem ratione ac modo; sic tamen vt hominis temperiem non ex aliis, quā ex elementaribus qualitatibus fateamur conflare: ab illis enim appellationem sortiantur, non ab humoribus. Primum itaque elementa statuuntur, Ignis, Aër, Terra, Aqua, rerum conditarum primaria initia; proxime qualitates, hoc est, calidi, frigidi, humidi, sicci mixtura, a qua temperamentorum differentia emergunt: postremo humores quatuor, quorum vim ac naturam semen in se complectitur, cui præter qualitates quæ instrumenti nõ opificis vice existunt, formandarum partium, secundum DEVM, ac diuinioem superne originem, causa tribuitur. Sunt autem liquores hi salubres, ad conseruationem tutelamque vitæ ac sanitatis cum primis necessarii atque vtilis: nam ex iis solidæ animalium partes constant, ac nutriuntur; quo fit vt numquam homini, dum superest ac spirat, deesse possint absq. summo valetudinis detrimento ac iactura. Qui tamen pro temporis circumacti ratione, annique circuitu ac decursu, pro ambientis aëris quali-

qualitate, ac loci conditione, pro etatū natura, modo
 augetur, modo diminuuntur. Siquidem sanguis
 succorum optimus ac calore humoreque præditus
 vere viget, florenti ætati quæ fere sanguineo ruben-
 tique colore perfusa est, peculiaris ac propria, tamen
 si aliis etiam naturis non desit. Phlegma seu Pituita,
 aquæ affinis, frigida humentisque naturæ, hieme
 incrementum concipit, sui generis morbos pa-
 rit. Cholera seu flava bilis, calida & sicca qualitate
 imbuta, igni proxime accedit, atque æstiuis mensi-
 bus inualefcit; quæ tametsi aspectu tactuque humi-
 da appareat, vt vinum Creticum, quod Maluaticum
 vulgo vocant, colore fuluo, potestate tamen & ef-
 fectu calida est vrentisque naturæ. Melancholia ter-
 ræ non dissimilis, frigida & sicca, autumnō augetur
 ac vires concipit; est autem ficior densiorque pars
 sanguinis, ac faculenta eluies. Hæ omnes humo-
 rum differentia seclia vena (neque enim syncerus
 sanguis ex hac promanat) omnibus conspici potest.
 Primum enim antequam refrixerit, aëreum spu-
 mantemque spiritum qui confestim euanescit, oculo
 exhibet; deinde defæcatum ac ruboris exuberan-
 tissimi liquorem qui purus putusque sanguis est, cui
 flava bilis innatat; ac nunc glutinosa lentaque pitui-
 ta, nunc liquida pro hominis conditione ac natura;
 postremo si massam inuertas, atro colore Melancho-
 lia. Ita humor quisque in corpore redundans, suo se
 colore prodit, sic vt aliquando qui ex venis pro-
 manat sanguis, in bilem vel pituitam liquefeat, ac dissol-
 uatur, aut in melancholicum humorem densescat,
 nullumque aut perexiguū sanguinis colorem ex-
 hibeat. Quod si cui degustare humores libeat, vt co-
 lorem illorum oculis, ita lingua ac palato saporem
 diiudicare poterit. Est enim dulcis sanguis, ac tan-
 tum non lactis sapore, quod illi affine ac cognatum:
 Amara flava bilis ex fellis natura: Insipida, atque vt

*Sanguinis
natura.*

*Pituita
conditio.*

*Cholera
vis.*

*Melan-
cholia
qualitas.*

*Sanguinis
ceteri hu-
mores in-
mixti.*

*Incisa ve-
na omnes
humores
conspici.*

*Humori-
bus color et
sapor inest.*

*Saliva &
sudor ex
humoribus
vires con-
cipiunt.*

aqua, omnis qualitatis expers pituita, modo ne com-
putruit, aut aliis humoribus permiscetur; tunc enim
vel falsa efficitur, vel acescit: Acerba atque acida, me-
lancholia: has omnes saporum qualitates nemo non
aliquando percipit, vbi incitato vomitu aliquis ho-
rum eiicitur: quin & in sudore ac saliva saporum hi
manifesto deprehendi solent; concipiunt enim ex
his humoribus vires & facultates, illorumq. qualita-
tibus sunt imbutæ.

*De Calido & humido corporis statu ac temperamento, obiter de
sanguinei hominis conditione ac natura.*

C A P. II.

POST descriptas simplices temperies, quæ ex vna
tantum præ cæteris eminente qualitate appella-
tionem consequuntur, propositi susceptique operis
ratio exposcit vt compositas quoque tractare aggred-
diar. Siquidem in ipso statim argumenti ingressu,
primoque aditu, atq. orationis vestibulo absolutum
omnibusq. numeris consummatum corporis habi-
tum monstrare, ac perficere institui; omniaque
amoliri ac propulsare incommoda quæ valetudinem
conuellere atq. ab optimo statu dimouere possint,
aut vlla ex parte sanitati officere. Itaque calidum &
humidum temperamentum huic ordini ac loco in-
ferere visum est, quod optimo sit affine ac proxime
assistat: nullus est enim corporis status, si summum ac
præcipuum demas, hoc commendatior, magisque
laudatus, aut qui vitam longius proferat, ac senectu-
tem magis remoretur, modo intra temperamentum,
hoc est, calidi & humidi limites consistat. Quocirca
cum hic habitus inter compositos præcipuus censea-
tur, accuratius de illo differendum, eoq. magis quod
pleriq. medicorum quatuor tantum discrimina sta-
tuant; quibus non prorsus futili ratione persuasum
est, fieri non posse, quod Galenus etiam testatur,
vt tem-

*Tuen. val.
lib. 6.*

ut temperies vlla, vel intemperies diu sola ac simplex subsi-
stat. Quandoquidem necessario sibi asciscat alte-
ram: nam & calidum, dum humiditatem absumit ac
depopulatur, siccitatem parit; frigidum, dum nihil
consumit humoris iumento quodammodo con-
fert. Simili modo sicca qualitas per eas ætates qui-
bus augetur animal, calidius ipsum efficit; vbi vero
decrefcit ac deficit, vergitque ad interitum, refrige-
rat ac siccitatem quidem solidas corporis partes; at capa-
citates ac humorum conceptacula excrementis im-
plet, quod in senibus liquido apparet, qui pituita re-
dundant, ac sputo muccoque os ac nares habent
oppletas. Quod recentiores ac nostræ ætatis medi-
ci etiamnum obseruantes, reiectis simplicibus, quas
tamen obsolescere atque obliterari non expedit,
quatuor duntaxat nempe compositas temperatu-
ras statuunt; quibus non a qualitatibus, sed parum
apposite ab humoribus illis famigeratis, ac nulli non
cognitis appellationem assignant, nempe Sangui-
neam, Cholericam, Phlegmaticam, Melancholi-
cam, ad quarum amissim quatuor hasce tempera-
menti differentias exigunt; quod vt populariter fa-
ciunt ac doctrina plausibili, ita non ex eorum arbi-
trio ac censura, qui in vrgendis dogmatibus rigidi
sunt. Interim vt controuersæ opinionis medicos,
atque in studia partesque distractos conciliem, quod
vtinam in componendis religionis dissidiis obti-
neri possit, nã tam multi periclitentur: patietur v-
traque pars Calidæ & humidæ temperaturæ (tempe-
ratissima semper excepta, in quam tamquam in sco-
pum defigenda mentis acies, vt suam quisque natu-
ram ad hanc exploret) principem locum assignari;
quæ vbi in suo vigore persistit, ac qualitates suas tue-
tur, sanguineum hominem producit. Sic paruo dis-
crimine, quodque neutri parti fraudi futurum sit,
Calidam & humidam temperiem appellaueris,

*De temp. s.
Tempera-
menta mis-
tationi ob-
noxia.*

*Senes siccæ
natura,
conditione
humidi.*

*Periculosa
opinionum
dissensio.*

*Sanguinis
utilitas.*

Levit. 17.

*Quur san-
guine abs-
tinendum
præceperit
Moses.*

*Sanguis
non temere
detraben-
dus.*

*Vnde ve-
na & ar-
teria oriã-
tur.*

*Hepar san-
guinis offi-
cina.*

*Cor fons
sanguinis.*

aut sanguineum hominem, qui humoris salutaris beneficio illas qualitates in se ipse complectitur; quamquam sanguis ipse, ut omnia suis finibus sint limitata, non pariat nec producat caliditatem & humiditatem, sed calor & humor sanguinem. Est autem sanguis succorum optimus, homini familiare ac cum primis domesticum alimentum, vitæque pabulum: siquidem per arteriarum venarumque riuos ac decursus spiritus vitalis impulsu, qui natiui caloris fomes est & vehiculum, vndique diffusus, corpus alit ac vegetat. Et quoniam syncerus hic & defæcatus, aspectuque amabilis liquor quodque animal conseruet, in eoque consistat vita ac spirabilis omnis naturæ vigor, ob id Hebræorum legislator Moses ex Dei præscripto *sanguinis usum interdixit*, quod sua cuiusque animalium anima in sanguine demersa sit, ac vita sanguine subsistat, illoque foueatur, ut ellychnii flamma affuso oleo; argumento quod immodico sanguinis profuuius homo vndique frigescat, totusque exanguis, ac tantum non exanimatus animi deliquio perichitetur: noui enim complures exhausto vna cum sanguine vitali spiritu, in summum vitæ discrimen adductos. Quocirca hic vitæ thesaurus solícite conseruandus est, quod nullus sit humor illo præstantior aut magis salutaris. Cæterum ut arteriæ, quæ spiritu vitali affluentius, quam sanguine turgescunt, a corde: ita venæ quæ plus sanguinis continent, quam aërei spiritus, ab hepate oriuntur, ac longe lateque exporrectos ramos ac propagines in vltimos membrorum recessus diffundunt. Est autem Hepar crassissimi turbulentique sanguinis officina, atque architector, licet prima origo cordi ascribatur; cuius vi ac facultate sanguis elaboratur, vitalique spiritu imbutus, calorem natiuum ad singulas partes deuchit. Viget autem sanguis ac vitalis spiritus vberissime in florida virentique ætate, tametsi nulli ætati desit, licet

licet in effœto corpore frigescat, nec tam calido at-
 que efficaci spiritu perfusus sit, quod vt ex actuosis
 gestibus, ac crebra corporis eiusque partium agita-
 tione, tum maxime ex colore obseruari potest, qui
 in adolescente ac iuuenili corpore, vbi optime con-
 stitutum est, rubicundus est & floridus: In proue-
 ctioribus, aut iis qui ab hoc temperamento sunt re-
 motiores, minus speciosus, vt quibus omnis decor
 ac venustas defluxit, aut ex prauis humoribus, occul-
 taque labe aliqua, longe quam illis, deterior se pro-
 ferat. Sic plerique ex splenis, vteri, hepatis, ventri-
 culi, pulmonis vitiosa affectione colore conspiciun-
 tur vel pallido, flauo, luteo, giluo, mustelino, vel a-
 lia quauis coloris specie deformati: *Nulla est autem,*
 Galeno teste, *succi animalis consideratio certior, quam qua*
ex colore atq; externo corporis habitu sumitur. Si enim cor-
 pus plus solito albescit, pituitosum abundare suc-
 cum indicat; si vero pallidum aut flauum sit effectũ,
 restagnante bili, biliosum subesse humorem decla-
 rat; rubicundum autem sanguinem efflorescere:
 quod si ad nigrum vergat, nigram superesse bilem,
 atque adustam choleram ostendit, maxime vbi nihil
 forinfecus inciderit, vt ex æstu, labore, lassitudine
 affolet, aut nullus subsit animi affectus, vel ire, letitię,
 mœroris, anxietatis, sollicitudinis: istis enim humo-
 res in cutem modo irruunt, nonnumquam delite-
 scunt, ac se recondunt: quo fit vt non ex agrotatio-
 ne aut vilo vitio, sed humorum motu atque agita-
 tione iracundi calefant, pallefant vero pauidi ac
 mente perculsi: videre præterea est nonnullos ceu
 plumbi colorem, oculis spectantium exhibere; alios
 ex albo liuidoque confusum, aliquando liuorem so-
 lum sine albo consistere; nonnumquam varios co-
 lores se ostentare; quæ omnia crudos dominari suc-
 cos declarant, vel ex vitrea, vel alterius generis pitui-
 ta, aut plurimos in corpore coaceruatos putridos hu-
 gnet.

*Color hu-
mores in-
dicat.*

*Tuē. valet.
lib. 4.*

*Affectus
colorem
immutat.*

*Versicolor
species
quid desi-
gnat.*

mores, qui suis se indiciis in externa specie produnt. Qui itaque calida & humida constitutione existunt, ac quibus sanguinis copia suppetit, purpureo ac velut roseo colore suffusi sunt, cute tangēti calida ac molli: statura decenti ac magnitudinis moderatæ, corpore carnosio, modice hirsuto, capillo subnigro, barba rufa vel rutila, cæsarie comaq. decora, quali corporis habitu ac specie Dauidem fuisse Scriptura testatur, *qui quum reiecto Saule imperio destinatus, a Samuele in regem consecratus est*, rubenti decoraq. facie describitur, atque aspectu eleganti, vultuque amabili ac gratioso. Quale oris decus ac speciem superiore anno Zirizæ nobis exhibuit inuictissimus Hispaniarū Rex & Belgarum princeps Philippus, non sine maximo mitissimi ingenii ac sedatæ mentis argumento. Accedunt vero huic constitutioni complures notæ atque indicia, quibus tamen non tutò possis fidere, vt quæ ætate & annorum decursu, omniq. fere momento immutari soleant; sic tamen vt certa semper & indubitata optimi quondam status argumenta appareant, atque immutatæ vel collapsæ constitutionis vestigia quædam conspiciantur. Quemadmodum enim magnificæ ædes vbi conuulsæ ac labefactatæ corruerunt, ruinæ demonstrant quanta fuerit ædificii moles, quam operosa structura, qualis architecti atque artificis industria: ita in laudabili corporis statu atque humanæ naturæ opificio, quod delapsum est, & inclinatum, aliqua eminent reliquæ, nonnullæ laudati temperamenti notæ atque indicia. Quamquam ex grauissimis morbis, vel ingruente calamitate aliqua externa eam cladem nonnumquam humana natura accipit, vt omnis corporis vigor, omnis formæ decor ac venustas conteratur, non secus quam spectabile ædificium tempestate valida conuulsam ac dissipatum, vel incendio funditus deflagratum. Sic metus, consternatio, repentinus terror,

1. Reg. 16.

*Philippi
Hisp. regis
decus, atq;
oris species.*

*Simile a
collapsis
ædibus.*

*Corpus mu-
tationi ob-
noxium.
A conflagra-
tis ædi-
bus simile.*

ror, atque inprovisa subitaque periculorum ac mortis intentata formido, ita vires & formam depopulentur, ut nonnulli sui prorsus dissimiles appareant. Cuius rei exemplum memorabile nostra memoria edidit iuuenis quidam generosus ac nobilis; qui quum in aula Caroli Caesaris versaretur, indecore parumq; reuenter atq; inboneste se gessit; siquidem virginis cuiusdam quam deperibat, pudicitiam expugnauit, quod in cœtu confessusq; herouearum virginum capitale censi solet, ac morte piandum, tametsi nulla vis illata sit, ac puella tacito quodam censensu, non magnopere repugnare obluētariq; videretur; itaq; in carcerem coniectus est, postridie plectendus capite: nam id rigide obseruare solent, ne quis impune tale quiddam adtentare, ac decus aulicum stupro scædæq; libidine contaminare audeat. Quum autem ea nocte tædio ac mœrore conficitur, ex angore mentis conceptaq; mortis formidine ita immutatus est, ut sequenti die quum pro tribunali consisteret, a nemine eorum quibus cum familiariter vixerat, ne a Casare quidem agnosci potuit: adeo illi mortis horror vitæq; desperatio paucarum horarum spatio colorem vigoremq; corporis ademerat, ut omnis species formæq; decor ac venustas defluxisset appareret, sic ut supra quam credi posset, squallida sit effecta facies, color ex florido luridus & cadauerosus, aspectus horridus, indecora canicies, barba sitis & pedore scædæq; illuuiæ deformata. Casar quum in illum desiguit oculos, supposititium esse suspicatus, ac fucum sibi factum, explorari iussit, an ipse is esset, & an euentita aut adulterina canicies, barbæq; medicato aliquo liquamine oblita foret ac delibuta: quum autem nihil tale subesse animaduertit, aspectu viri attonitus atq; obstupescens ex vindicta in commiserationem animum deflexit, itaq; satis pœnarum dedisse ratus, culpam illi remisit, ac violata ereptæq; pudicitia crimen condonauit. Causam autem tam prodigiosæ subitæque mutationis quum nuper a me sciscitaretur in accubatione D. Nicolae epulari illustris. vir D. Nicolaus Micholdius ab Indeuelda, apud summos principes, omnesq; proceres gratiosus, illam in supplicii imminentis intentissimam

Rei gesta
narratio.

Memora
bile exē
plum de
subita ca
nicie.

Vnde
subita
canicies.

Indeuelda.

*Ratio cur
homines
subito colo-
ris speciem
exuant.*

*Simile ab
arescenti-
bus felis.*

*Nauta &
milites cur
cito cane-
scant.*

*Imagina-
tionis quā-
ta vis.*

cogitationem quæ intimis sensibus penitus inhæret, ferendam pronunciaui: ea siquidem animi affectio tam fuit illi grauis & acerba, vt propemodum extincto sopitoque vitali calore ac spiritu, singulæ corporis partes amissio florido ac spectabili colore, in despicatum habitum deuenirent, adeo vt capillorum radices quæ fumido vapore qui cuti subest, aluntur ac frondescent, vt gramina terra succo, concepta frigida siccaque qualitate, arescerent ac natuum colorem exuerent. Vt enim arborum folia ac vitis pampini qui vnam a cæli iniuria defendunt, æstu, grandine, pluuia, Aquilonio ac Boreali flatu, qui æstiuis aliquando mensibus ingruit, ex viridanti in luteum flauumque colorem elanguescent ac demutantur: sic genuinus corporis vigor, sic color. Scæterna species deflorescit, ac crines qui non existunt corporis partes, sed appendices, sublata oppressaq. vi qua aluntur, intempèstiuam caniciem contrahunt; quod fere omnibus obuenire videmus qui in labore militari, in periculis maritimis versantur, aut cum morbis conflictari solent, in quibus est mortis quoddam instar: nihil enim aliud meditantur, nihil animo magis concipiunt, vbi stat in procinctu acies, ac res agenda cominus, quam extinctum iri se, nec facile posse eluctari: nisi forte animus longa assuetudine ad pericula occalluit, ac sit obfirmatus; quod fere perspicimus in veteranis militibus, atque his qui tempestatibus ac mari sauitiæ sunt assueti. Tanta est autem efficacitæ profunda ac continuata imaginatio, quod alias multis argumentis a me demonstratum est, vt mulier infanti notas quasdam ac conspectarum rerum vestigia imprimat; quod etiam viris vsu venire ex ardenti fixaq. cogitatione palam est. Sic erecti in crucem Christi contemplatio Francisci manibus pedibusq. lituras ac stigmata impressit, si eius instituti affectatoribus qui illi sunt addicti, habenda

benda fides: nam picturæ ac statuæ eius nomine expressæ talem in æde sacra exporrectis manibus exhibere solent. Quanta vero Servatorem oppresserit angustia, quis animum confecerit mœror, quæ trepidatio, vel id cuique documento esse potest, quod mens in præsens periculum defixa, ac velut intuita instantem imminentemque mortem, sanguinolentum sudorem expresserit adeo effuse promanantem, ut in terram defluerit, ac solum in quod inclinatus erat, pronusque decubuit, sanguineo madore cruentaret. Est autem horror mortis, si quando hominem corripit, aut eius imaginatio mente concipitur, ipsa morte atrocior: multis enim cum illa vitam finem imponit, sensus obstupescunt, nec vllum dolorem percipiunt, quod iis accedit qui apoplexia, vel lethargo opprimuntur, vel deliquio animique defectu velut conuiuentes somno consopiantur atque obdormiscunt, nullo spectantium oculis exhibitio doloris sensu. Sic in adeūdis terra marique periculis quæ mortis imaginem oculis ac menti obiiciunt, nemo non contremiscit ac trepidat, metuque exalbescit, refugiente ad intimas partes sanguine: quum enim omnes corporis partes vitali succo destitutæ sint, nulla satis probe suo officio fungitur, sed titubant vacillantque pedes, caligant oculi, labascit vigor, mens hebescit, animus deiectus est, genæ pendulæ sunt ac flaccescunt, lingua hæsitat, dentes crepitant;

Arrectæque horrore comæ, vox faucibus hæret.

Adeo nullus est quamlibet constantis robustique animi, cui non repentinus aliquis casus sit formidabilis, ac mentem concutiat, sic tamen ut confestim discusso metu, ac concepta diuinitus fiducia intrepidus interritusque subsistat, ac si res poscat, quæque ingruunt aduersa, declinari nequeant, alacri atque infraeto animo se illis opponat. Nulli itaque naturæ spirabili mors non horribilis ac formidolosa, quod

*Passor
Christi.*

Luca 22.

*Metus
mortis ipsa
morte a-
cerbior.*

*Quibus
mors pla-
cida.*

*Unde tre-
mor in pe-
riculo.*

*Lib. 3.
Æneid.*

*Sapiens
metu con-
cutitur.*

*Mentis stu-
por, doloris
sensum
privat.*

interitum adferat, nisi quibus mens obstupescit, ac sensus minus vigent; ut sunt decrepiti, infantes, stolidi, amentes, deliri, quibus non subit ulli rei formidanda cogitatio, nec ut ceteri quibus cerebrum est firmum, nec vitiosa animalis facultas, dolorem percipiunt, praesertim qui lethargo, apoplexia opprimuntur, vel qui deliquo defectuque animi velut coniventes somno sensim consopiantur, nulloque doloris sensu placide obdormiscunt. Huc autem spectat longius, quam par est, producta narrationis series, ut quamlibet multa speciose se proferant in corpore humano, variaque eluceant animi ornamenta, innumeris tamen casibus vita humana exposita nusquam non aliquam cladem accipit, ac laceratur, omni que ex parte ea ingruunt, quibus vigor labefactari solet ac labascere. Quod si nihil incommodi alicunde irruat, in multos annos subsistere potest, & obdurare inculpata temperies frugalitate vitae, atque omnium cupiditatum temperantia stipata, sic ut etiam in senilem de uxamque aetatem optimi habitus vestigia se proferant, quod in quibusdam observari potest qui cruda viridique senectae existunt, atque animo iuuenili, ac corpore, quam adolescentibus, minus effoeto. Ceterum quum aetas adulta, quae in calidi humidique temperamento consistit, omni fere ex parte, praeter exactum illud, moderata atque aequabilis est, suasque actiones inculpate exerceat; tum etiam quod ad somni rationem attinet, nihil magnopere culpari potest: est enim is placidus, ac minime turbulentus, cui nulla subest intemperies, aut inquietas nocturna. Si quidem suavis halitus madido rore cerebrum irrigat, reficitque, sic ut animo nihil absurdi observetur, sed diurnae tantum actiones, ac quotidiana vitae munia, quorum occupatione dies nobis transigitur: haec enim antelucano, primoque exacto somno qui fere profundior altiorque esse solet, quam ut quis somnio-

*Quis so-
minus san-
guineis.*

rum

rum possit reminisci, menti se ingerunt: quod si alia quædam sit animi ac spiritus agitatio, aut quid occurrat inter somniandum a negotiis quibus interdum implicamur, alienum, aut inconsuetum: vitiosos humores redundare in corpore declarat, ex quibus spiritus turbidi in arcem mentis delati confusas imaginationes ac visa quædam vana ac futilia offerunt, ex quibus euentus aliquos ariolari, ac temerarias interpretationes comminisci ineptum est, nec minus impium, quam superstitiosum, vt Scriptura palam testatur. Nonnumquam tamen somniis, sed quæ diuinitus immittuntur, aliqua subest diuinitio ac rerum futurarum non fallax nec inane præfagium. Vellicat enim subinde sopitas atque oscitantes mentes supremus opifex, ac visiones somniaque obiicit nunc læta, nunc luctuosa ac funesta, quæque nobis vel salutaria, vel noxia denunciant, quo animos nostros exploret, an illius monitis ad extremum futuris obsequentes, aut ab illius præscriptis defecturi. Multi enim nugis hominum ac commentitia doctrina dementati, a Deo eiusque verbo desciscunt, ac relicto vberissimo atque inexhausto aquæ viuæ fonte, arentes riuulos consecretantur, aut vt Hieremias ait, *effodiunt eruuntque sibi cisternas dissipatas ac perfluentes, qui nullum salutaris doctrinæ liquorem continent.* Iobus quoque exercitatus ille miles queritur se tumultuosis insomniis inquietari. Quum enim somnus sit laborum omniumque molestiarum lenimen, atque a diurnis occupationibus relaxatio, illas non ademit illi nocturna quies; sed auxit ac conduplicauit animi ægritudines, mentem scilicet somniorum terrore exagitata: has enim effundit querimonias in celebri illo Dialogo, vel potius Tragicomædia: *Quod si cogito fore, vt meus me lectulus consoletur, ac dolorem mitiget, meumque cubile, sopito pauore ac tadio, omnia leuiora efficiat, tu autem in somniis*

Cur in initio somni, somnia non percipiuntur.

*Leuit. 19.
Deut. 13.*

Somnia diuinitus immittuntur.

*Cap. 22.
Cap. 7.*

Somnus in quæ usum.

*Sanguinis
vis in con-
stituenda
animi na-
tura.*

*Pure san-
guinei stul-
titia per-
fusa.*

*Comment.
i. denatura
humana.*

*Homo bel-
lus affinis.*

*Homo lu-
pus.*

perterres me, ac visionibus spectrisque nocturnis, horrore concutis, adeo ut malorum omnium finem morte terminari cupiam. Cæterum quod ad internas huius corporis notas, atque animi propensio- nes attinet (nam intus & in cute homo exhiberi spe- ctariq. debet) calida & humida qualitas quæ sangui- ne infidet, illiusque operam exposcit, varias homi- num naturas producit, ac pro humorum aliorum vel parciore vel affluentiore mixtura, varios mores con- stituit. Qui enim mere sanguinei sunt, ac nihil aut perexiguum melancholici vel biliosi humoris admi- xtum habent, ut qui proxime accedunt ad naturam sensumque pecudum, stolidi fere sunt, ac stultitiæ nota insigniti, aut saltem quibus non admodum multum inest prudentiæ. Nam quum Galeno teste, Acrimonia animi ac solertia a bilioso humore profi- ciscatur, constantia ac firmitas ex melancholico: Pi- tuita vero ad formandos fingendosq. mores inutilis, tum simplicitas ac stoliditas ex sanguine emergit. Sic animantes iuniores quibus præ cæteris humori- bus plurimum sanguinis inest, magna ex parte insul- si sunt, inepti, stolidi: ut hædi, vituli, ouiculæ, agni, capreoli, catelli felis ac reliquorum animalium pul- li: inter homines vero, quo quisque propius accedit ad brutorum naturam, eo magis illorum conditio- nem ac mores exprimit, quod ex oculis & vultu, (quorum quodque mentis speculum est, & animi index) quiuis in naturæ operibus vel tenuiter exer- citatus diiudicare poterit. Est enim plerisque cum cæteris animantibus magna cognatio & affinitas, qui quanto remotius a temperamenti puritate dila- buntur, tanto minus in illis viget ratio, iudicium, in- telligentia, recti voluntas, mentis præstantia, dele- ctus rerum, omniumque eorum quæ belluis com- munita sunt, efficiuntur participes: Sic nonnulli vi- tio ac depravatione vel educationis, vel naturæ in belluas

belluas degenerant, atque in omnibus actionibus quiddam obtinent simile. Siquidem nonnulli ut lupi, sanguini inhiant, ac prædæ avidi sunt. Plerique ut leones, crudeles, feroces, immanitate sæva & efferata, qui ut Micheas ait, *sanguini insidiantur, ac fratrem suum ad mortem venantur*. Princeps postulat, & iudex in reddendo est, hoc est, Principis postulatis iudex obsequitur. Similiter Ezechiel; *Ioachimus, inquit, factus est leo, didicit prædas rapere, & homines deuorare, viduas facere, ac domos illarum in desertum adducere*. Sic & similes quidam assimilés sunt, gesticulosi, ridiculi, ad quiduis imitandum apti atque appositi: nonnulli vulpium naturam imitati, subdoli sunt, astuti, insidiosus, in persequendis innocentibus callidi. Sic alii aliorum animantium naturam ac mores referunt, atque ab integritate ac præstantia humana lapsi in feras degenerant, aut illis efficiuntur assimilés. Pueri vero & qui pubescere incipiunt ob meracissimum sanguinem spiritu vndique turgido perfusum, inquieti sunt, agiles, lasciui, immodesti, petulantes, petulci, insolentes, inepti, ludo iocisque immoderatus dediti: nam illos vitulari videmus, hoc est, ore, voce, gestu, nutibus, plausu, cantilenis, alacritati inani, atque effusa lætitia, motu incomposito atque instabili, vagæ ac volubilis naturæ conditionem, atque animi mentisque mobilitatem & inconstantiam testari; idque ebullientis sanguinis effectu, qui non secus in venis, quam mustum in doctis, efferuescit. Hinc Belgis enatæ aliquot adagiorum formulæ, quibus denotare solent ac perstringere hilariores quam par est, iuuenes; qui alacritate quadam futili, profusaq. lætitia gestientes, ridiculos moriones, ac ioculare spectaculum astantibus se præbent; ad quæ illos incitat non ratio vlla, aut placidus mentis impetus, sed impotentia animi a temperantia, a molestia, a moderatione diffidens & auersa, cuius impulsu

Cap. 7.
Homo leo.

Cap. 19.

Homo simi-
lis.

Homo vul-
pinis moribus.

Unde agi-
litas in pue-
ritia.

Vitulari
quid.

Sanguinis
feruor cum
musto com-
paratur.

*Quid deno-
tet capitis
crebra mo-
tio.*

*A vitulo-
rum lasci-
via pro-
uerbium.*

*Vitulini
dentes pro-
uerbium.
Sapien. 4.*

Catullire.

*Ætas iu-
uenilis san-
guinea.*

effuse atque inaniter exultat animus, atq. iactatione quadam puerili se effert insolentius. Quin ex capitis crebra motione, ac continenti manuum pedumque mobilitate inconstantiam quandam, ac mentis animique imbecillitatem præ se ferunt, sic vt nostrates quidam, vesaniæ illos insimulent, mentisq. nonnihil imminutæ, aut quæ paululum a sede sua excidit: neque enim vlla re seria occupantur, nec in dictis factisque vel minima se profert prudentiæ pars, sed præter ætatis rationem ac decorum pueriliter iuuantur ac lasciuiunt, quæ pro exacti temporis ratione frugi esse conueniret, vitamque compositæ ac decenter agere. Hinc sumpta est prouerbialis similitudo a vitulorum natura ac moribus, qui vernis mensibus in viridante prato, vbi pabuli copia suppetit, ridiculis saltibus se exercent, ac nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum solo insultant, nunc corpus in gyrum flectunt, nunc excussis posterioribus, mox prioribus pedibus in sublime saliant; quorum mores quum iuuenuli in quotidiano vitæ vsu & consuetudine exprimunt, *Vitulari* dicuntur: *Nondum excussisse vitulinos dentes: Adhuc prurire vitulantium mandibulas: In illo coetus peragitur vitulatio:* Liber autem Sapientiæ, qui Solomoni ascribitur; *Spuria*, inquit, *vitulamina non agent altas radices, nec stabile fundamentum collocabunt.* Quibus loquendi formulis designamus crudam illam ætatem atque indomitam, cui deest tempestiua maturitas, ac nondum adolescentia deferbuit, aut iuuenilis animi impetus refedit; quo fit, vt cum necdum ætate corroborata firmataque existant, adhuc *catullire* ac lasciuius insolescere non desinant, nec quidquam ferri meditari, aut animo menteq. concipere laborent. Quum itaq. ætas adulta ac iuuenilis tota in calidi & humidi constitutione versetur, ac præ cæteris sanguine scateat, huc præcipue referenda est: neq. enim vllus corporis habitus aptius illi

illi possit accommodari; nam omnes huius status
conditiones ac notæ illi quadrant; quod Horatium
quoq. obseruasse video in depingenda iuuenilis æta-
tis natura & inclinatione;

*Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper;
Utilium tardus prouisor, prodigus aris;
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix.*

*In arte
Poetica.*

Cui si accedant improbi consultores, vt fere in i-
pso tirocinio, atque ætatis lubrico assolet, facile æ-
grotum ac mutantem animum in deteriorem par-
tem rapiunt. Quum enim in biuio consistant, at-
que in virtutis vitiorumque confinio constituti, re-
rum sint imperiti, ac consilii inopes, multitudinis er-
rore, ac comitum blanditiis dementati, ad pessimum
vitæ genus impelluntur.

*Consultor
improbus.*

*Namq; iter ambiguum, tum vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.*

Per. Sat. 5.

Quod si fidus aliquis consultor optima common-
stret, rectamque ac salutarem educationem adhibe-
ri curet (proba siquidem est materia, atque indoles
egregia, si probus accedat artifex) in vberrimam fru-
gem solet adulescere. Est enim sanguinis in corpore
humano ea vis ac facultas, præsertim vbi ætatis ac-
cessu calorem concipit, ac spiritu vitali in dies magis
magisque perfunditur, vt expeditam mentis agita-
tionem, celeresque discursus ac solertiam pariat, que
quotidiano vsu & exercitatione, prudentiam, mul-
tarumque rerum cognitionem quæ sapientia stipata
est ac munita, consequitur; quo fit vt naturæ pariter
atque educationis beneficio, eximiis dotibus exor-
nari illos contingat; & quod facultate dicendi, sum-
misque eloquendi viribus sint instructi, Reip. vsui
sint atque ornamento. Et quamquam calidæ atque
siccæ naturæ hominibus, nempe Cholericis nõ desit

*Consultor
salutaris.
Prouerbiũ
ab arrifice
& mate-
ria.*

*Sanguis a-
liis humo-
ribus uti-
tur ad for-
mandos
mores.*

eloquendi peritia, dicendique feruor, & linguæ volubilitas; non tamen tanta est istis sententiarum ac verborum grauitas, minusque affectibus suis moderari norunt, quum sint in perorando acres & concitati, quod in huiusmodi hominibus non solum in pronunciandis vocibus, sed etiam in incessu plus satis festinato ac celeri perspici potest. Hoc quoque inter hoc est discriminis, quod quum Cholericis amarulenti sint ac dicaces, salibusque dentatis ac scommate obuios quosque feriant, tum Sanguinei nufquam exercent caninam faciendam, nec quemquam figuratis diceriis impetunt aut laceffunt, quibus homines offendi solent tamquam lotio perfusi; sed ingenio sunt lepido ac festiuo, excussoq. scurrili lepore, atque obscenis facetiis, urbano prorsus ac venusto, quin & foro, vt dicitur norunt ac scenæ seruire, rebusque præsentibus sese accommodare, quæ fit vt omnibus sint amabiles ac gratiosi, nullisq. graues ac molesti. Quod si sanguinem aliis humoribus dilui contingat, atque ætatis accessu calefcere, flauamque bilem qua incitari humores contingit, illi commiseri, aut alterius humoris effici participem, variè hinc emergunt atque exoriuntur pro mixturæ ratione hominum, mores, studia, animi propensiones, vitæ instituta, quibus quisque in deligendo vitæ genere applicare se, atque addicere solet, vehementi quadam ad rem aliquam consequendam auiditate. Sic vbi pars sanguinis dupla existit, seu beffis quæ octo vncias complectitur; bilis vero flaua ac atra æquali portione inter se diuisa, triens seu vnciæ quatuor, quæ tertiam assis partem conficit, ex iis tribus ita permistis ea statuitur corporis habitudo, quæ multiplices animi motus, mentisque impetus & inclinationes profert; quæque mentes hominum atque ingenia intus effingit formatq. etiam antequam in verba erumpant, ad quamuis personam quæ vel assumi

a nobis

Quod discrimen inter Sanguineos & Cholericos. Cholericis dentati. Sanguinei non acerbi.

Vti foro.

Vnde natura propensio.

Sanguis qua mensura dilui debeat a aliis humoribus.

a nobis solet, vel a natura ac publica functione nobis assignari;

*Format enim natura prius nos intus ad omnem,
Fortunarum habitum, iuuat aut impellit ad iram,
Aut humum mcerore graui deducit, & angit,
Post effert animi motus interprete lingua.*

*Ex arte
Poetica.*

Quemadmodum autem natura rerum in producendis pingendisq. floribus inimitabile artificium exprimit, ac tot tantaq. herbescens viriditatis discrimina profert; quorum alia lacteo dilutoq. virore nitent; alia saturato vergentiq. in atrum virore oculos afficiunt; alia ceruleo, caesio, glauco, herbaceo, incano, porraceo, colore virent, suosq. effectus ac vires obtinent; ita sanguis alterius qualitatis humoribus permixtus, alias vires, alium colorem concipit, licet sanguineum non profus exuat; sic vt etiam in animi mentisq. recessus penetret, atque ad varias actiones sit incitamento. Et quamquam astra in res inferiores efficaciter vires suas exerant, humores tamen atque elementares qualitates corporis humani habitum constituunt, diuersaq. ingeniorum ac morum discrimina pariunt. Sic ista qua de loquimur, constitutio in hoc orbis theatrum Thrasones producit, parasitos, moriones, philautos qui insolentius sibi plaudunt, aulcedos, perditos, ac profusos nepotes, hoc est, qui patrimonium dissipant atq. abligurriunt, aleatores, Gnathonicos, qui scite assentari norunt; obiter mimos scenicis comicisq. gestibus mire instructos, circulatores, agyrtas, hoc est, qui plebem ad nugas conuocant; quibus accedit ex promiscua multitudine immensa hominum colluies,

*Simile a
florum &
herbarum
artificio.*

*Astra mi-
nus effica-
cia humo-
ribus.
Sanguinea
hominis
varii mo-
res.*

*Qui numerum complent, fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoiq.,
In eute curanda plus a quo operata iuuentus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curant.*

*Horat. li. 1.
Epiſt. 2.*

Quum enim vitæ suæ nulla ratione moderentur, nec laudabili institutioni, sed malorum conturbatio assuescant, improbis corruptisque moribus efficiuntur, atque ex sanguinis feruore ac redundantia in omnes libidines atque effrenatas cupiditates effusi, sic vt summum bonum non aliis, quam voluptatis finibus metiantur. Cuius generis sunt omnes Dionysiaci artifices, seu Veneris ac Bacchi affectatores cupediis ac ganearum nidori addicti; quorum omnis industria ac vigilandi labor in antelucanis coenis exprimitur. Siquidem vt prouerbio dicitur, *Musici aetatem agunt, ac Tibicinis vitam viuunt*; hoc est, molliter, laute, delicate, otiose, ac sumptu fere alieno; qui quum cupiditatibus nullum nec modum nec finem statuunt, atque ex immodica ingluuie, intempestiua vigilia, concubitu immoderato lassescant ac defatigentur, morbis qui in plenitudine humorum consistunt, efficiuntur expositi, vt sunt angina ac faucium tumores, tonsillarum atque vuulæ inflammationes, condylomata, ac mariscæ, hæmorrhoides, sanguinis e naribus profluuia, pleuritis ac laterum dolores, pulmonis inflammatio, multa que venæ infectionem exposcunt; quibus accedit febris ephemera seu diaria, sic dicta, quod vno die sisti soleat, licet aliquando ad quartum producat, ad quã referri debet sudor Britannicus, cuius morbi symptoma seu accidens est cardiaca syncope, vel animi defectus qui ex stomachi morfu contractus non minori affectu hominem conficit, quam si cor vitæ fontem halitu contagioso forinsecus ingruente opprimi contingat: quod obseruatũ est anno 1529. mense Septembri in pestilenti ephemera quæ ex aëris contagio exorta totam Belgicam inuasit magno terrore, animique deliquio ac cordis palpitatione. Cui hoc accessit incommodi, quod empirici quidam præter artis rationem, nec obseruatis naturæ viribus, duode-

Sanguis ad luxum incitat.
Musice viuere. Tibicinis vita.
Morbi ex plenitudine.
Diaria febris.
Sudor Anglicus ephemera febris species.
Sudoriferus morbus in Belgica quando.
Sudoriferi morbi contagium.
Empiricorum error.

duodecim horarum spatio in sudore agrotos violenter detinerent, ac culcitris etiam puluinisq. identidem impositis opprimerent. Quum autem aer vitiatuſ infectuſq. huic malo seu ephemeræ febr̄i cauſam præbeat; ſymptoma vero atq. accidēs quod comitatur, vt umbra corpus, cardiacuſ ſit affectuſ, atque animi deliquium, tum ſudor ipſe criſiſ ſtatuitur, quo naturæ robur excuſſa madida olentique fuligine, morbum diſcutit; quocirca neceſſe eſt moderatuſ iſ ſit, nec quatuor aut ſex horarum ſpacio productior pro virium imbecillitate ac robore: immodicuſ enim vires deiicit ac ſpirituſ vitaleſ depopulatur. Quod autem morbuſ hic Britannicuſ dicitur, vel ſudor Anglicuſ, hinc enatuſ ominor; quod in ea regione populareſ frequentiuſ illo corripiantur, partim ob operoſaſ lautaſq. menſaſ, ac ciborum affluentiam qua illoſ diſtendi contingit, vt Germanoſ ac Belgas potu; partim (vt ſuperiore anno a me obſeruatum eſt ipſo etiam ſolſtitio æſtuo) ob aërem turbulentum ac nebuloſum, denſaque caligine paſſim offuſum; quo ſit vt concepta intuſ ac foriſ morbi cauſa atq. origine non ſine ſanguine & ſudore cum illo colluctentur, quaſi cum valido ac præferoci hoſte certamen ſit inituſ, quem ſummis viribuſ excuſſiſſe laborent; hinc corporiſ animiq. defectuſ ac deliquium; hinc ſpirituſ languidi, ac collapſæ vires; hinc intercepta voce occluſiſq. ſpirandi fiſtuliſ, vitæ propemodum interituſ atque exanimatio. Quum enim gens iſta non ſit obdurata laboribuſ, nec malis occalluerit, vt pote molli ac delicatæ vitæ aſſueta, cito morbum hunc concipit, ac valide deiicitur, quocirca refocillari debēt ac refici odoribuſ, vinoq. meraco foueri. Hinc ſiquidem eſt quod huic nationi peculiaris ſit ac prope quotidianuſ vini Cretici, quod Maluaticum vocant ac mæſcatum, uſuſ: illo enim languidum ac nimio ferculorum apparatu oneratum

*Cardiacuſ
affectuſ.*

*Sudandi
moduſ.*

*Sudor Bri-
tannicuſ
vnde nomē
adeptuſ.*

*Cur Angli
ſudoriſero
morbo ob-
noxii.*

*Britanni
in morbiſ
flaccidi.*

*Angli cur
meraco vi-
no utatur.*

Satyr. 5.

*Ipsē capillato diffusum consube potat,
Calcat amq; tenet bellis socialibus unam,
Cardiaco cyathum non porrecturus amico.*

*Synochus
seu conti-
nens febris.*

*Putredini
obnoxii ca-
lidi & hu-
midi.*

*Simile ab
adibus &
vestimētis
sitis obdu-
ctis.*

ventriculum erigunt, instaurantque, quod veteres quoq. in medēdis huiusmodi morbis factitasse comperio, qui cordis dolorem ac puncturas, animi deliquium, colicos atque iliacos cruciatus ac tormina tali vino expugnari solent. Sic auari cuiusdam fordida opulentiam atque inhumanitatem Iuuenalis perstringit, quod amico defectu animi collapsō atque ex immodico sudore periclitanti vinum deneget;

Inuadunt quoque huius constitutionis homines, præter iam memorata incommoda, aliæ febres exitiales ac perniciosæ; quarum altera ex putrescente sanguine accenditur, altera nulla existente putredinis nota in sanguinis inflammatione consistit; vtrumque hoc genus febrium *Synochi* nomine comprehendunt Græci, Latini *continui*, quod continenter affligat, nullis admissis induciis, aut respirandi spatio; ingruente enim primo paroxysmo seu insultu, in multos ille dies absque intermissione porrigitur. Est vero ætas calida & humida præ cæteris huiusmodi febribus obnoxia; promptissime enim ex oppilatione putredinum incipit vernis præsertim mensibus, quibus humores augeri solent; eoque magis si qua subest intemperantia, atque ab exercitatione dissueta residem vitam agat atq. otiosam: siquidem oclusis meatibus ac spiramentis per quæ diffilari sanguis solet, ac vapores discuti, putrescere illum necesse est, ac vitalia tetro halitu infici. Quemadmodum ædes instructæ ac flatibus ventisque minus expositæ: vt etiam vestes, culcitæ, puluinaria, lodices, tegeticulæ situm contrahunt, ac pædorem asciscunt, nisi concutias atque auræ subinde exponas: sic corpus humanum putre fit atque olidum, nisi labore atque
agita-

agitationi corporis assuescat: hac enim viuendi ratione excrementa euacuari contingit, atq. emanantes ex iis fuligines dissipari. Quo itaque morbis minus periclitentur, nec febribus reddantur expositi, adhibita moderata victus, somni, vigiliae, Veneris ratione, excussa que ignauia ac veterno, exercitationi tempestiuæ insistant; denique ineunte vere percussa vena sanguinem sibi adimi, aut ad motis cucurbitulis cutem scarificari: quod si ad eum modum inaniri recusent, medicamentis quæ aluum leniunt, expurgandi; vt sunt cassia fistularis, syrupus rosaceus laxatius, diaprunum simplex, syrupus de epithymo & fumaria, polypodium, mercurialis, manna seu mel acreum, serum lactis. In exercitatione autem obeunda id studiose obseruandum, ne aut humoribus atque excrementis oppleti, aut cibo potuque distenti illam adeant. Siquidem caput a quo vt in imperio grauissimi morbi diffundi solent, fumo ac vaporibus implet, catarrhos ac distillationes excitat, hepatis ponderis sensum atq. oppilationem infert; nam motus violentus cibos inconcoctos in venarum angustias adigit, qui quum humoribus transitum intercipiunt, putredini occasionem præbent: tale quiddam vbi inciderit, protinus occurrendum, iis quæ in viis eius hærentia atq. impedita expediunt, qualia sunt, Galeno teste, absinthii Pontici in vino macerati dilutum, aut vinum absinthites, seridis species, nempe cichorium, & quæ vulgo *Scariola* dicitur, cassuta, argemone, rhabarbarum, anisi & feniculi fermen, nuclei persicorum, amygdalæ amaræ; vix passæ acini exemptis vinaceis, oxymel simplex, quorum quodq. exhiberi debet ante cibum concoctione iam peracta. Eadem quoque in re Venerea adhibenda cautio. nam ex immodico concubitu vires deiici contingit, atque oborta inflammatione dolores articulares excitari; sunt enim horum plerique

*Qua alua
leniant.*

*Exercitationis
modus.*

*Caput ab
infirmis mor-
bis noxam
concepit.*

*Iecoris oppi-
latione vnde.*

Tuend.

valet. 6.

*Absinthii
hepatis con-
fert.*

*Qua oppi-
lationem
discutiant.*

*Veneris in-
commoda.*

*Veneris
commoda.*

*Semē cor-
ruptum
quid noxa
adferat.*

*Veneris
moderatio.*

qui nulla habita concoctionis aut cruditatis ratione; nullo noctis & diei discrimine, neglectaq. illius rei opportunitate, auide (vt est prurigo moræ impatiēs) hac voluptate perfrui festinant, qui cum nihil non sibi permittunt in obeunda Venere, nec vllas leges moderandæ libidinis sibi præscribunt, totius corporis robur ac neruos elidunt; siquidem coitus illam vim corporis eripit ac depascitur, qua ciborum concoctio perficitur, atq. in sanguinem elaboratur; quo non sincere confecto, plurima redundantium humorum excrementa congeri contingit, quæ innumeris morbis initia præbent ac seminaria; quamquam plerisque horum, nisi modus desit, Veneris vsus nihil officit; nam magna pituitæ pars atque aliorum humorum colluies tempestiuo concubitu illis adimitur, quæ præter rationem cohibita, corpori menti- que noxam inferre solet; quod in virgunculis quæ ferius coniugio destinantur, aut quibus ex voto castimoniam professis aditus ad connubia interclusus est, obseruari potest: nam præter indomitam tentiginem ac flammam, præter latentes tacitosque ardores quibus vri solent, colore quoque inamabili efficiuntur, ac foedo, menteque tantum non furiosa ex vapore tetro qui sursum rapitur, ac cerebrum obnubilat. Hinc a concepta concumbendi imaginatione ex virorum contuitu contactuque incubus nocturnus, ac feminis effluxus quo se polluant; hinc cordis tremor & palpitatio ob densissimos fumos ac fuligines quibus pericardion, hoc est, cordis inuolucrum opprimitur, quasi frigores ac nocturni Lemures graui mole corpori incumbant. His autem quibus libera est matrimonii lege concumbendi potestas, aut etiam qui inconcessa Venere, vagoque atque illicito concubitu se contaminant, præcepisse expedit, ne impotentius huic rei succumbant, ac postmodum deplorent se eneruatos atque elumbes, exhaustoque:

ff
fa
qu
fco
&
an
fr
nu
Qu
vfu
int
lafi
exl
qu
cor
du
Ca
bat
citi
ipse
pra
mn
dur
ta t
tuta
le c
fit e
flu
du
bor
nat
exp
one
corp
mer
dore

ftoque vitali succo prorsus effoetos: qua de re extat
 salubris apud Solomonem exhortatio, qua quem- *Prover. 9.*
 que commonefacit; *Ne addicat decus & honorem suum. Meretrix.*
scorto, nec florentes annos meretrici crudeli dedat: nam auide nec concu-
 & facultatibus & viribus inhiat, vt quæ nec saturari *bitu, nec*
 amplexibus, nec largitionibus expleri possit, ne po- *muneribus*
 stremo ingemiscat, ac spirio deploret corpus atte- *satiatur.*
 nuatum, atque opibus viribusque se esse exutum.
 Quo circa ne quid detrimenti ex immodico Veneris *Artis me-*
 vsu accedat, tantum interualli ex Galeni præscripto *dicin. 86.*
 intercedat, vt neque resolutio aliqua sentiatur aut
 lassitudo, ipseque homo leuior atque erectior, tum
 exhausta sentina, melius spirare se sentiat. Tempus
 quoque opportunum captari debet, quum scilicet
 corpus mediocriter constitutum est, nec supra mo-
 dum plenum, nec vacuum; qua de re aliàs vberius.
 Caterum si quem sanguineum, pietatis amore, celi- *Sanguineis*
 batus delectat, susceptoque castitatis instituto pudi- *ad cœliba-*
 citiam illesam tueri cupiat, huic consulo vt vires suas *tum parum*
 ipse metiatur, & an affectum hunc indomitum ac *idonei.*
 præferocem coërcere poterit, studiose exploret. O-
 mnibus enim modis in adeunda re tanta prouiden-
 dum, ne quid inconsiderate aggrediatur, ne incōsul-
 ta temeritas rationis iudicio ac rerum delectu desti-
 tuta, poenitentiam adducat, vbi suscepti oneris mo-
 le obrui se percipit. Quum enim genitale semen *Semen*
 sit excrementum redundans, atque humor super- *quid.*
 fluus, qui ex vltimo alimento superest, ac sit resi-
 duus, ipsumque e vasis testium in quibus exacte ela-
 boratur, in progignendæ sobolis vsu depromitur,
 naturæ vis ac facultas illam humoris collectionem
 expurgari cupit, illiusque excretionem, intolerandi
 oneris molestia leuari, non secus quam aliæ partes
 corporis exonerari cupiunt superuacaneis excre-
 mentis ac fordibus; nempe lotio, oletis, sputo, su-
 dore, mucconarium ac faucium pituita. Quocirca

Matth. 19. salubris mihi semper visa est ea Christi, cui & Pauli
2. Corin. 7. est consentanea, admonitio ac cōsiliū; ut qui sunt
 huius rei capaces, ad eamq. perficiendam idonei, il-
 lam adeant, arripiant atque amplectantur; non de-
 futurum est diuinæ virtutis adminiculum, sine quo
Sapient. 8. omnis noster conatus inanis est atque irritus, ut præ-
 ter Paulum Solomon testatur. Nihil autem est am-
 bigendum, quin effici possit, ut domita deuictoque
 affectu illo lubrico, tametsi id operosum sit, in eo
 statu se posset inculpatum præstare, quæq. animo
 conceperit, perficere, modo celestis doctrinæ ac pie-
 tatis studio id propositum susceptum sit. Qui enim
Continētia voluptatū diuinitus contingit.
Matth. 17. molestissimis curis sunt implicati, excussa-
 que desidia atque ignauo otio, vigiliis, inedia, ardenti studio, in-
 tentis piisq. precibus, iugi sacrarum literarum medi-
 tatione, ac diurnis nocturnisq. concionandi labori-
 bus, quibus hoc genus demoniorum eiicitur, se fatigant ac
 macerant, non magnopere illius rei desiderio affi-
 ciuntur; siquidem sponte & libera voluntate, non
 coacti, nec vlla superstitione inducti hoc vitæ genus
 adeunt, quo expeditius munus Euangelicum obeāt,
 ac sacris functionibus liberius insistant.

*De frigidi & humidi corporis habitu & constitutione, ex qua
 Pituitosi seu phlegmatici conditio eruitur, eiusq. natura
 explicatur.*

C A P. III.

Pituita sanguinis naturalis materia.
 C Alidæ & humidæ constitutioni proxima statui
 debet frigida, & humida temperies, in qua re-
 dundat Pituita seu Phlegmaticus humor, cuius post
 sanguinem non minima pars per corpus vndique
 diffunditur. accedit vero is humor nonnihil ad san-
 guinis naturam, illique affinis est cum essentiæ ra-
 tione, tum conceptaculorum societate: est enim ve-
 lut sanguis quidam inconcoctus, atque inchoati seu
 imperfecti ac nondum exacte elaborati sanguinis
 rudimen-

rudimentum: quale nobis specimen exhibet feruescens ac recens ex torculari expressum mustum. Si quidem, ut venuste Galenus ait, id quod tenue atque aëreum, nempe flos vini ebullit, atque in sublime fertur, cui subest atque innatat humor insipidus aut subdulcis aquæ naturam obtinens, qui excoctus atque a sordibus defæcatus, vini naturam consequitur. Et quamquam pituita albescat, nullaque sit rubedine perfusa, excocta tamen, expugnataque frigiditate caloris vi & efficacia, in rubicundum floridumque liquorem redigitur. Et quemadmodum pituita naturalis quæ dulcedinis est particeps, vi caloris in sanguinem elaboratur, ac colorem rubicundum asciscit: sic sanguis in vberibus partim ex loci cui immoratur natura, partim a cordis calore cui mammillæ incumbunt, in lacteum nitidique coloris liquorem conficitur. Hinc Pythagoricæ superstitionis philosophi præter interdictum carnis usum ovis & lacte abstinebant, quod illa inter carnes liquidas referrent: quum post paucos dies si foueri contingat, alitem proferant, alterum colore immutato sanguinem esse statuerent. Hoc vero visum est nonnullis prodigii quiddam simile, quod infantibus etiam masculis recens in lulem editis, ex papillarum conis vel sponte, vel leniter prementibus digitis, lac proflueret; cuius rei quum aliquando experimentum facerem, consului, ut subinde id exprimerent, ne collostrare ac lapidescere contingat: colligitur autem in pueris lacteus ille liquor ex copioso atque affluentissimo alimento, quod in illis epistomiis ex loci natura, ac cordis qui caloris fons est, adminiculo lactescit. Quum enim mammillæ seu lactis conceptacula fungosa sint, & adenes illis innatæ, exangues & albæ, efficacem vim obtinent, sanguinem qui in illas influit alterando in lactis substantiam: qualibet enim pars corporis nutrimentum immutat, ac sibi assimilatur, cognatumque

*Humoribus
mixture
musto com-
paratur.*

*Sanguis
lactis ma-
teria.
Lac ex
sanguine.*

*Cur Pytha-
gorici lacte
abstinebant.*

*Impuberes
lac in mæ-
millis ha-
bent.*

*Adenes
vulgo Ell-
der.*

*Pars quæq;
suis viribus
imbuita.*

*Usus esse
Et usq; pi-
tuitæ.
Pituitæ
locus.*

*Simile a
vasculis di-
stillaticijs.*

*Pituitæ
morbi.*

ac familiare efficit. Sic generatio lactis ac spermatis ex sanguine accurate excocto conficitur, atque a natura illarum partium in quibus elaboratur, candorem asciscit, ac lactescit. Sic hepar quum sit velut sanguis concretus, liquorem rubicundum profert; pulmo spumofum continet; articulorum compagine glutinosum humorem pariunt; lingua salivam, ossa vero cavernosa atque excavata medullam candidam; quemadmodum & spina dorsi & cerebrum ubi omnia exacte elaborari contingit: nam in agnis atque ouiculis aliisque animantibus minus adultis medulla cruenta perspicitur; ita quæque pars similem sibi humorem emolitur, atque in sui naturam immutat. Quocirca nemini absurdum videri debet, pituitam hepatis vi ac facultate in sanguinem demutari. Habet autem is humor liquidus, fluidusque usum in corporibus animalium non minus utilem, quam necessarium; siquidem in venas delatus ac quaquaversum dimanans, sanguinis ac flauæ bilis feruorem temperat diluitque; denique articulis mobilitatem confert, ac ne ariditate rigescant efficit, postremo membra phlegmatica alit, ac vegeta præstat. Et quamquam pituitæ nullæ nullus certus locus assignari soleat, maxima tamē pars ventriculum occupat, in quo primum cibus in succum liquefcit atque elixatur: videmus enim copiosam glutinosæ lentæque pituitæ sentinam vomitu aliquando excuti, aut per intestina prolui in iis qui immoderata edendi bibendique auiditate atque ingluvie ventriculum obruunt; quibus quum caput etiam madido vapore oppleri contingat, atque vt in turbine ac meta distillatitia fumofus halitus in sublime ferri, qui in mucosam pituitam densescunt, cerebri frigiditate, pluribus morbis redduntur expositi, nēpe grauedini, coryfæ, broncho, raucedini, tussi, multisq. aliis, quorū genus est catarrhus seu distillatio, quam hibernis mensi-

mensibus in Belgica summi pariter atque infimi experiuntur, quorum nemo non

Precipue sanus, nisi quum pituita molesta est:

Hor. lib. i.

Epist. i.

Adeo ut mirari subeat tantam inesse capiti mucci affluentiam, quam modo per os, modo per nares, faucesque natura expurgat. Caput itaque ac stomachus præ cæteris pituitæ excremento scatent, præsertim si quis frigidis humidisque cibis affuescat, atque exercitationi minus se dedat, quo fit ut humor iste plus satis crudus ægre concoqui possit, atque in salutarem succum, quique vsui esse possit corpori, confingi. Siquidem vligo quædam est ac superuacaneum excrementum, quod expurgari potius debet via qua maxime natura vergit, ac qua proxime commodeque exonerare se solet. Quemadmodum enim initio ex stomacho, mox a capite prima mali labes, ac fundi calamitas, omnisque malorum scaturigo exoritur (ut obseruare licet in vino affluentius hausto, quod licet in ventriculum deferatur, caput tamen impedit) danda cum primis opera, ut illæ partes quam minimum pituitoso excremento opprimantur: nam malum in totius corporis detrimentum vergit. Ut enim in imperio, in Republ. in cœtu consessuque ciuili, in illustri amplaque familia: ita in corpore humano grauissimus est morbus qui a capite præcipuique membris diffunditur: redundat enim malum in subiectas infimasque partes, quæ insigni incommodo afficiuntur. Exemplum quisque sumat ex ædibus quarum vsu & commeditate fruitur. Ut enim namquam illæ salubres, atque ad tuendam valetudinem idoneæ, quæ stillicidiis ventisque peruiæ sunt, atque imbribus expositæ; aut vbi summa tectorum culmina male materiata ac ruinosa fatiscunt; ita caput fluxionum vitiis obnoxium numquam firmam valetudinem constituit. Quum enim frigida sit humentisque naturæ, prompte a fluctuante ventriculo

Caput & ventriculus pituitosæ humoris conceptacula.

Corporis & Reip. mala a capite.

Aperfluentibus ædibus simile.

vapores combibit, atque humiditate imbuitur, qua liquefcente subditas partes conspuit, stillantiq. pituita infesta est, *ut mulier rixosa ac iurgatrix viro placido.*

Prou. cap. 27: & 27. Siquidem e capite continenter humores defluunt, atque ut fuligines ex fumario. in fauces, aures, nares, oculos, pectus, pulmones decumbunt; hinc oculorū tumores, lippitudines, caligines, hinc aurium susurri, tinnitus, audiendi grauitas, nonnumquam abscessus pone aures, ac glandularum concretio; obiter varix ac multiplices exoriuntur ex defluxu in singulas partes morborum differentix: nam & linguæ instrumenta affici contingit, ac vocem offuscari, sic ut aliquando immobilis fiat, atque homo obmutescat: nerui enim, membranæ, muscoli, venæ iugulares, quæque formandæ voci inseruiunt, immodico humore (quod in tumultentis perspici solet) imbutæ, linguam inuolidam reddunt atque impeditam, omnesque artus titubantes, sic ut identidem verba iterata ingeminant, nec articulate ac significanter vocem proferre, sensaque mentis indicare queant: quibus quum aliquando naturæ vitio lingua sit impeditior, tum vuidis vinoq. perfusis hæsitantius illa voluitur, sic ut singultatim verba proferant; quo fit ut tales submisse, tacitaq. voce eloqui nesciant, quod offensaculo quodam vox sisti soleat ac cohiberi. Quocirca maxime illis enitendum est, ut commode atque exerte verba formare consuescant, alioqui lingua imbecillitatis ratione subministrare nequit intellectui verba, nimirum stabilitate destituta: hinc enim efficitur, ut vix pauca verba vno tenore, ac continuata serie effari possint, ut quibus nunc cunctanter, nunc præcipiti volubilitate sermone perficiatur. Quod autem istis intemperantia ac bibendi assuetudo adfert, hoc catarrho obnoxii humorum defluxus ac pituitæ molestia, quæ & complura alia comitantur incommoda, quæ quiuis emunctæ naris facile obier-

Prou. cap. 27: & 27.
Mulier per
stillanti te-
sto compa-
ratur.

Quos mor-
bos catar-
ribus pa-
riat.

Tumulentis
cur balbu-
nant.

Balbi sub-
misse loqui
nesciunt.
Unde lin-
gue balbu-
ties & me-
moratio.

obseruare poterit. Nam si frigida humidæq. qualitatis notas libeat excutere, deprehendet illos ex humoris ac qualitatis illius redundantia somnolentos esse, desides, inertes, veteranos, minusq. agiles & expeditos; quales fere sunt qui abdomini, ventrique saginando dediti, raro exercitationi insistant. Videmus autem etiam inter animantes cicures ac siluestres illas præ cæteris insalubriores atque esui minus aptas, quæ exercitatae sunt atque in latibus delitescunt, aut inclusa tenebrosis caueis saginantur, pinguescunt illæ quidem, atque in molem attoluntur; verum alimentum minus salubre præbent, atque excrementorum copiam adferunt, ut inter aquatilia anguilla & lubrici alii pisces, qui cæno lutoque inhærescunt, nec vlla agilitate se exercent; quod fit ut anguilla exanimis piscium solæ non fluitent, quod paludosa stagnantique aqua pasta sint. Cæterum ut corporis huius status & conditio cuique penitus innotescat, suis illa coloribus depingi debet, suisque indiciis demonstrari. Est itaque illis qui in hunc habitum referuntur, corpus obesum, adipe undique constipatum, modo naturalis sit ea constitutio, non aliunde ascita; statura non tam procera, quam ampla; cutis mollis ac candida attractanti, glabra, nullisque pilis obducta, musculis ac venis delitescantibus, quæque se non proferant, sic ut quum res venæ sectionem exposcant, nusquam appareant. Capilli capitis vel albescunt, vel in dilutam nigredinem deurgunt, aut spiceo colore existunt, qui serius quidem defluunt, ac caluitium patiuntur, ac mature canescunt ob caloris penuriam ac membri imbecillitatem, quæ excoquere nutrimentum nequit in pilorum usum ac decorem. Est autem

Phlegmaticorum conditio.

Quæ animantia esui salubriora.

Anguilla mortuatur non fluitet.

Nota frigidæ & humidæ corporis.

Spiceus color a spice vel culmo ordeis.

Vnde canicies.

*Situs in
cibus.*

*Ex somniis
corporis sta-
tus doce-
tur.*

*Naturalium
somnia
interpreta-
tio.*

*Divina so-
mnia Dei
afflatum
exigunt.*

*Quae so-
mnia pi-
uitosi.*

tale quiddam panes & artocrea supra legitimum tempus asseruata, quae lanugine ac mucore olido obducta conspiciuntur, & fornices ac concamerata testudines, tum specus subterranei, aliaque loca squalida, fenta, opaca, situ ac pedore horrida. Lotium vero iis album, ac nullo propemodum aut perexiguo rubore suffusum; alui excrementa atque egestiones liquidae, somnus autem profundior, & quam valetudo exigit, productior, quem insomnia comitantur varia, ex quibus non futili sane nec fallaci coniectura corporis dispositio deprehendi, atque humorum redundantium decursus indicari potest: nam harum rerum causa & origines ex corpore emergunt, quae etiam si in externas causas sint referenda, aut in diurnas actiones, quaeque mens interdum vel concipit, vel secum intente agit, ac subinde versat, promptum est perito expertoque medico, quo sint euasura, & quos habitura euentus, explicare. Nam quae diuinitus immittuntur, nec ex naturae rebus progrediuntur, non cuius proclive est, nisi afflatu caelesti de his quidquam pronunciare: Sic frigidae humidaeque conditionis homines urinare se, ac caput aquis perfundi imaginantur, aut in balneis thermisque versari, quae largam subesse pituitae copiam declarant ex capite in ceruices, fauces, vocalem arteriam, pulmones primo quoque tempore decubitorum. Pari modo si grandinem, niuem, glaciem, imbres, per somnium mente concipiunt, nunc concreti, nunc liquidi phlegmatis redundantiam indicat. Quod si quis suffocari inter somniandum videretur, aut sibi vocem intercipi sentit, huic vel angina, vel linguae stupor ac grauedo, vel denique lethargus, aut apoplexia imminet. Sic quidam, Galeno teste, somniauit alterum crus illi lapideum factum, qui paulo post ex defluxu in illum frigidi humoris, paralyticus est effectus. Et quamquam anxia nimis ac curiosa somniorum

rum obseruatio prohibita sit, nihil tamen vetat ea, *Leuit. 17.*
 quæ in rerum naturalium, quarum Deus autor & *Deut. 13.*
 conseruator est, ratione consistunt, excutere, exclu-
 sa diuinationis vanitate, excussaue euentorum,
 quum spe ac fiducia, tum metu ac trepidatione. Si
 quando itaque naturalia incidunt somnia, quibus
 nulla subsunt ludibria ac mentis illusiones, (nam il-
 la erecta in Deum fiducia discutiuntur) commone-
 faciunt, vt valetudini quisque insistat, atque illa a- *Non teme-*
 moliri curet, quæ sanitati vel obsint vel officiant, vel *re fidendū*
 vllas somniorum perturbationes inferant. Siqui- *somniis.*
 dem imaginationes, & quæ per quietem simulachra
 menti obiciuntur, vel animo obuersantur, ex hu-
 morum vapore ac spiritus animalis agitatione exci-
 tantur: quorum alii refricant nobis vel diurnarum
 actionum memoriam; vel humorum abundantiam
 indicant; vel quarundam rerum auiditatem, qua-
 rum desiderio expleri cupimus, commonstrant.
 Hinc siticulosi affatim se potu reficiunt, famelici a-
 uiditate insatiabili cibos deuorant. Sic quibus excre-
 mento seminali genitales partes turgescunt, aut in-
 terdiu in puellam spectabili forma, oculis menteq;
 fuerint defixi, Venereo affectui in somno indulgent,
 ac se imaginaria Venere, effluxuque nocturno coin- *Pollutio vn-*
 quinant. Anima enim, corpore oppresso somno, *de ac semi-*
 sopitisque externis sensibus, in profundum corpo- *nis efflu-*
 ris demersa, diurnas corporis actiones sentit atque *xus.*
 intuerur; & quibus se corpus explere cupit, iis tam-
 quam præsentibus imaginatione quadam frui-
 tur. Hinc manasse prouerbiū ominor; Canis pa- *Canis panē*
 nem, Canis agros ac venationes somnians. Quæ *somnians,*
 enim quisque impense expedit, quæque fixius ani- *proverbiū.*
 mo menteque concipit, ea in somno meditatur,
 earumque rerum species noctu obseruantur.
 Ad quæ alluisse Esaiam verisimile est, quum ina- *Cap. 29.*
 nes esse improborum conatus, & consilia indicat;

*Esaielocus
explicatur.*

illaque ut fumos ac somnia evanescere. Ut enim, inquit, somniat famelicus se comedisse, experrectus autem adhuc esurit: Et sicut sitiens se bibisse somniat, expergefactus vero vacuus est: Sic accidit iis qui innocentum sanguini inhiant, illoque satiari cupiunt, tamquam enim somniantes frustrabuntur, nec obtinebunt quod impense cupiunt, aut se assequutos opinantur. Cæterum si quis forte frigidi humidique status ac phlegmatici hominis internas notas atque indicia requirat, illa obiter patefaciam, quæ sint natura, conditione, moribus, viuendi instituto, commonstrabo, tametsi non est quod de his multa ac magnifica vllus speret, quum perexigua in illis e-

*Indicia fri-
gidi & hu-
midi sta-
tus.*

*Pituitosi
ignavi.*

*Prouerbij
origo, Obe-
sa & emu-
ta naris.*

*Pituitosi
hominis
latus.*

admodum acri exactoque iudicio, aut *emuncta naris*, ut a quorum obturatis pituita mucosque naribus: *Obesa naris*, prouerbium deductum est, a corpore ad animum translato vitio. Ut enim palato minus sapiunt, nec odorantur, aut sensu oblata percipiunt: ita mente quoque insipidi sunt, atque obtusi, stupidi, ignavi, inertes, nec denique natura aut usu sagaces, vel acuti, vel callidi, quod calor natiuus sepitus sit, immersusque humidæ qualitati, atque humori frigido: quo fit ut memoria quoque sit fluxa ac prope nulla; sermo ut pulsus atque incessus tardus ac remissior. Verum illud præcipue in iis laudem meretur, quod placido sint ingenio ac sedato, quod Veneri minus dediti, quod nec iracundi nec irritabiles; ut qui etiam laceffiti non incandescant: obiter nullis dolis, insidiis, fraude, astutiis, technis, versutiis, sycophantiis ut Cholericis, instructi. Sed quoniam multis variisque morbis tentari soleant, quod sedentarii sint atque otio dediti, post imperatam præscriptamque calidam victus rationem, de qua in frigido

corporis

corporis statu, tum humidi abunde tractatum est, ut
 exercitationi assuescant, extimulandi sunt. Ignavia
 enim ac desidia corpus, ut Celsus ait, hebetat, labor
 siue exercitatio firmat: illa præmaturam senectam,
 hæc longam adolescentiam facit: quocirca valentio-
 res hi motus exigunt, ne humor plus satis augetur,
 & calor sopiatur. Itaque matutinis ambulationi-
 bus insistant, per accliuia editaque loca ventriculo
 inani ac vacuo: nihil tamen vetat ab assumptò cibo
 tale quiddam aggredi, sed has corporis agitationes
 maxime lentas esse conuenit; meridianas vero ma-
 gis celeres ac citas, (quod & calidis & humidis obser-
 uare expedit) non tamen ut Galenus ait, quales festi-
 nabundis opere aliquo urgente perfici solent. Hoc
 quoque iis præcepisse ex usu est, ut diutius ieiuni per-
 sistant, ac cœnent parcius: quum enim omnibus
 quibus inculpata valetudo obtigit, liberalior cœna
 esse debet, nisi consuetudo obstet, tum istis parca
 conuenit ac frugalis, quo cerebrum nocturnis exha-
 lationibus, quæ e ventriculo emanant, minus obnu-
 biletur: istæ enim distillationibus ac catarrhis mate-
 riam præbent ac seminaria, ex quibus tanta morbo-
 rum examina pullulant, quæ ut declinari euitarique
 possent, phlegmatici humoris differentias, & quo
 sint effectus, quos illæ morbos pariant, paucis expli-
 cabo. Statuuntur autem Pituitæ species ac discri-
 mina quatuor; Dulcis aut si crudior sit, insipida, quæ
 somnolentos homines efficit, & maiorem somnum
 conciliat, quam natura exigit, humectato scilicet &
 frigescente sensuum principio, nempe cerebro: Acidi-
 da, famelicos reddit: siquidem os ventriculi, seu sto-
 machus ubi illo humore imbutus est, ac ciborum
 appetentia excitatur: Salsa, quæ siticulosos facit, ac
 stomachum vellicat: Vitrea vero, quæ & tenacitate
 & algore cæteros superat, cibi fastidium adfert ad
 nauseam: harum omnium mitior minusque noxia

*Pituitosæ
 exercendi
 laboro, li. 1.*

*Tuæ. valet.
 lib. 5.*

*Pituitosæ
 cœna par-
 ca sit.*

*Quatuor
 Pituitæ
 species &
 effectus.
 Galen. de
 plenit.*

*Pituita
 dulcis.*

dulcis est, quæ concoctione domita meliorescit atq; in sanguinis naturam commigrat: cui tamen suum non desit virus ac malitia, nisi omne vitium penitus calore excoquatur: nam tumores laxos, molles, inflatos excitat, albos nullaque rubedine perfusos. tum alia quædam pituitæ eruptiones in extima cute emergunt, vt præhumida scabies, tum mulierum atque impuberum papulæ pustulæq; tumentes, quæ nonnumquam in saniam ac purulentum humorem erumpunt: verum non magnum pruritem & ardorem excitant, vt ea scabies quæ ex falsa pituita aut cholera affluxu contrahitur, quæ acri mordacique falsugine imbuta est.

*Pituita
acida.*

*Omphaciō
quid.
Appetitus
caninus.*

Acida Pituita succo melancholico qui subinde in ventriculum confluit, qualitate effectuque assimilis & cognata, mirus quam vitrea, magis quam dulcis, frigida; hæc pungit ac stimulat stomachum, illique morsus infert; siquidem quum is exquisitissimo sensu polleat, acerbissimi humoris qualitate offenditur; tam austerus enim sapor illi inest, vt si vomitu excuti contingat, vti hieme & autumno assolet, linguam, palatum, fauces, dentes radat ac stupore afficiat: non lecus, quam vix acerbæ succus, quem Omphacion cultiores medici, populares agrestem vocant, sic vt agre expugnari eluique eius sapor possit. Hæc quoque pituitæ species siquando os ventriculi occupavit, suoque acore atque acerbitate imbuerit insatiabilem ac prorsus caninam appetentiam excitat, quæ grauidas fere infestat circa tertium a conceptu mensem, præsertim vbi foemellam gestant; in quibus quum sit calor languidus, ac vires flaccescant, non facile natura pituitosos humores cōcoquere potest; quo fit vt nauseabundæ sint ac fluctuationibus, crebrisque ructibus molestentur. Quum enim acida atque acerbæ potissime concupiscant, ventriculum vitiant, multosque prauos humores coacervant.

Sunt

Sunt autem & præter mulieres viri etiam huic malo obnoxii, quibus cibi calorifici exhibendi sunt, & vinum maxime meracum. Quod si humorem hunc in corpore putrescere contingat, febris excitatur Epiala, sic dicta, quod interiora caleant, rigescant autem ac frigore concutiantur externa; nam is humor accensus, similem flammam edit virentibus humectisque lignis, ex quibus densi crassique fumi humida quadam substantia imbuti assurgunt; adeo ut calor ab humore prohibitus, nequeat erumpere, sic ut non solum colorem ita affectis vitari contingat, sed etiam in animo menteque aliqua percipere incommoda. Salsa pituita quæ nonnihil affinitatis cum cholericò humore habet, conficitur ex bilis vel salæ vel serosæ humiditatis commistione, aut putrescente phlegmate, a cuius acrimonia non rigor, sed horror, totiusque corporis concussio oboritur; ubi is accenditur, nulla est autem pituitæ species hac nocentior. Siquidem dolores intensos excitat, ubi in partem aliquam incubuit, ac vi mordaci ulcerosas lassitudines membris infert; cutem denique aridis squamosisque scædis eruptionibus deformat, nempe mentagra, impetigine, lepra, psora, scabie pruriginosa; ubi vero cum melancholia, aliisque vitiosis humoribus coaluit, elephantiasim parit, quæ Hebræorum lepra est, herpeta, phagedenam, morbum Venereum, compluresque alios, qui membra erodunt ac crudeliter depascunt.

Vitreæ autem Pituita sic dicta, quod eliquato fusoque vitro sit assimilis, omnium frigidissima est; quocirca egerrime concoqui potest, atque ad salutarem domesticumque humorem reduci; obsidet autem magna ex parte caput, ventriculum atque intestina, quibus acerrimos cruciatus infert. Siquidem pungit, vulnerat, dilaniat; quum enim ista pituita glutinosa

Epiala febris.

Simile a lignis virentibus accensis.

Pituita salsa.

Pituita salsa noxia.

Pituita vitrea.

Qua partes pituita obnoxia.

*Tenesmus
quid.*

*Clysteris
usus.*

*Lipyria
febres.*

*Calor hu-
morem, ut
Sol glaciē
dissoluit.*

*Simile a
madido
homine.*

fit, ac visco assimilis, ut est ea materia, ex qua vitrea pocula effinguntur, propter lentorem ac tenacitatem ægre diuellitur, atque angustis conceptaculis adhærescit; sic ut natura cum alieno atque extraneo humore dimicans, acerbos dolores concipiat, priusquam excutere posset infestum corpori humorem, qui varios atque intolerandos morbos secum deuehit, nempe Colicos, iliacosque dolores, intestinorum difficultates, egestionem mordaces, tenesimum, qui nihil aliud est, quam frequens & irrita egerendi cupiditas, quæ magno enitendi conatu & molimine vix minimam vitree pituitæ partem excludit, ac paucas quasdam sordes ac strigmenta deiicit; quibus affectibus & si quæ alia exoriuntur tormina, ego nulla re efficacius mederi soleo, quam foris adhibitis fomentis, intus vero iniecto clystere quo omnes illæ pituitæ collectiones prolui solent & abstergi. His autem morbi ac valetudinis incommoda in infimis partibus citra febrem vere consistunt, nisi dolorum faces admoueri contingat, quod nulla subsit vel putredo vel inflammatio, ac membrum sit ignobile; verum si in principem aliquam præcipuamque partem hæc pituitæ species decumbit, ac putrefacta inflammari incipiat, febres excitat Lipyrias vocatas, atque in imis visceribus frigus æger percipit, externis calorem. Quemadmodum enim Solis calore glacies, nix, grando, liquefcit ac dissoluitur, fluidaque singula efficiuntur; ita æstus febrilis crassum illud & concretum phlegma liquefactum diffindit; quo fit ut in eodem corpore calor & frigus percipiatur, quemadmodum in iis qui humidis madidisque vestibis foco assident, aut manibus niuem vel glaciē attrectant, quorum membra eodem temporis momento frigidam calidamque qualitatem sentiunt. Ceterum quum magna mortalium pars, hibernis potissime mensibus aut vna aut altera pituitæ specie infestari

infestari soleat, omnibus modis efficiendum, ut calidis cibis assuescat, ac concoctionem exacte perficiat; siquidem ex cruditate & frustrata ventriculi concoctione maxima pituitæ noxa in corpore congeri solet, quæ si quid aliud, evidens certe detrimentum valetudini infert; quo circa quæ impense frigida humidaque existunt, imprimis euitanda, ut sunt Austriaci flatu, plani pisces ac lubrici, fructus arbutei; ex herbis lactuca, portulaca, cucumeres, melones, cucurbitæ, fungi; aut siquid horum in usum veniat, calida condimenta adhibeantur, ac tempestiua exercitatio, tum quæ crassos viscososque humores attenuant, quæ flatu discutiant, ac quam minimum humoris excrementique pituitosi in corpore reside-re patiantur: nam ii quoque mentem transuersum rapiunt.

*Pituitæ
incommodæ
omnes ob-
noxij.*

*Cruditas
pituitarum
parit.*

*De Memoria excolenda, demoliendisq; eius detrimentis atque
incommodis.*

C A P. IIII.

Quoniam autem frigida humidaque intemperies, tum frigida quoque & sicca, ubi plus iusto inualefcit, memoriam obruit, ac lethaliter afficit, huic operi nonnulla inferenda putavi, quæ illi cultum adferre possint, atque efficere, ut quam minimum illa detrimenti concipiat, aut vlla sui parte iacturam patiatur. Quæ autem ratione id perfici possit, obiter indicabo. Est enim non modo studiosis, sed nulli non mortalium salubre cum primis & frugiferum. Siquidem omnes actiones ac munia publica quæ vel publice vel priuatim obire solent, omniaque cogitata, conceptus, consilia, meditationes, curæ, studia, dicendi agendique labor & industria, quæque vel animi vel mentis agitationem exposcunt, memoria adiuumento perfici debent. In hoc enim thesauro potissima rationis, intelligentiæ, iudicii pars consistit,

*Memoria
omnia per-
fici.*

eo eoque tamquam elocuplete atque opulente in-
 structo penu depromitur, eruiturque rerum recon-
 ditaram vberima supellex. Quæ memoriæ vis nisi,
 vt fidus tutor ac conseruatoriis rebus quæ a nobis
 excogitata perceptaq. sunt, adhibeatur, omnia pro-
 tinus, etiam si præclarissimi sint ingenii monumenta,
Memoria in cerebro consistit. effluunt atque oblitterantur. Assignatur autem
 memorandi facultas cerebro, mentis omniumque
 sensuum domicilio, quo affecto aut intemperie ali-
 qua vituato, omnes naturæ functiones ac munia affi-
 ci contingit ac labefactari; sic vt imminuta mente,
 conuulsaque ratione, intellectu, iudicio, desipientia
 oboriatur, obliuio, stupor, delirium, stultitia, aliena-
 tio, fatuitas iners ac stolidi, qui affectus ac mentis er-
 rores multifariam hominibus obuenire solēt, nem-
 pe ex capitis ictu ac vulnere, cranei ruptura, casu, rui-
 na, contusione, pestiferis morbis, qui ex ambientis
 aëris contagione homines inficiunt, ac præter æter-
 na quæ nonnumquam euitari nequeunt. illa quæ ipsi
 nobis damna inferimus, vt est crapula, ebrietas, in-
 gluies, intempestiuæ vigiliæ, cibi frigidi & pituitosi,
Memoria perniciofa. immoderatus concubitus, quo mens obstupescit, ra-
 tio, intellectus, iudicium obscurantur, ac naturæ ro-
 bor sic plerisq. deiicitur atque eneruatur, vt corpus
Venus corpus eneruat. tridui operam curamq. exposcat, & amplius antequã
 instaurari possit, atque in pristinum statum restitui;
 ex quo incommodo accedunt morbosæ aliquot ac
 foedæ affectiones, quæ non minorem menti, quam
Cerebrum siccum nõ concipit imagines. corpori cladē inferunt, ac reminiscendi vim obruūt.
 Vt autem immodica cerebri siccitas a nimia crapula,
 inedia, Venere contracta, memoriæ officit, q̄ ea qua-
 litas inidonea sit ad suscipiendas rerū formas, vt quas
Cerebrum humidum nõ retinet imagines. ariditas ac durities respuit; ita affluentior humiditas
 ex otio, desidia, immodico somno, cibis humidis par-
 ta, memorandi facultatē opprimit. Suscipit illa qui-
 dem celerius rerum formas ac simulachra, verum
 ob

ob mollitudinem non inhaerescunt, sed effluunt, ut
 sigilla quæ ubi in nimis vdam ac fluxam materiam
 imprimuntur, nullam rerum formam ac vestigia re-
 ferunt, sed confestim evanescent ac dilabuntur.
 Quum itaque memoriæ vis consistat in fida ac stabi-
 li imaginum conseruatione; pueris & quotquot hu-
 mido sunt cerebro, imbecillior est, quam ut imagi-
 num impressionem retinere queant. Senibus quo-
 que vis ea inualida est, quod ob cerebri frigiditatem
 & ariditatem nihil insculpi possit, eoque fit ut vtri-
 que obliuiosi existant, ac debili minusque tenaci
 memoria. Siquidem huius, omniumque sensuum
 internorum vis ac facultas ad cerebri temperiem
 est exigenda. Nam ex crassa eius partis substantia,
 aut cum in ea spiritus atque humores densescunt,
 multisque vaporibus obsita sunt & obducta, obliuio
 suboritur, ac quum intelligentiæ tarditas, tum per-
 cipiendi difficultas. Ex humecto vero cerebro, ni-
 miumque liquido sensus emergit obtusus & hebe-
 tior, minimeque diuturna memoria aut stabilis. Sic-
 cior vero cerebri constitutio, labilem ac fluxam me-
 moriam parit parumque tenacem: non enim con-
 cipit imagines, atque ægre insculpi eas patitur, non
 secus quam ferri aut chalybis lamina ob duritiem
 calaturas non admittit, ac stili mucronisque aciem
 respuit. Memoria itaque stabilis ac firma ad cere-
 bri temperamentum referenda est, eaque vis men-
 tis naturæ muneri ascribitur, sic tamen ut iuuetur
 arte, excoltaque vigeat; aut si collapsa sit, aut detri-
 mētum acceperit, cura atq. industria erigatur. Quo-
 circa cum primis danda opera, ut valetudo inculcata
 existat, ac corpus optime constitutum; ut moderata
 sit victus vitæque ratio, ac frugaliter, summaque tem-
 perantia instituta; ut cibus exacte concoquatur; ut
 mens affectibus libera; animus tranquillus ac placi-
 dus, ne qua ingruat quod menti caliginem possit

*Pueri &
 senes obli-
 uiosi, sed
 diuersa
 ratione.*

*Cerebri
 temperies
 memoria
 præsidit.*

*Simile a
 ferri ac
 chalybis
 natura.*

*Memoria
 natura
 munus ar-
 te iuuatur.*

offundere: plurimum enim confert ad memoriæ
 præsidia, corporis animiq. vigor, aëris salubritas, ce-
 rebri temperies, sensuum omnium optima constitu-
 tio; spiritus animalis ac vitalis, qui ab humoribus
 promanant, lucidi minimeque turbulenti. Hæc e-
 nim efficiunt, vt omnes animæ facultates, inter quas
 memoria præcipuas partes obtinet, vigescat, nec
 quidquam earum rerum, quas vel aspectu, cogitatio-
 ne, ingenio, doctrina, meditatione concipimus, men-
 te excidat, aut aboleatur; quamquam enim sopita
 visa sunt & obliterated, postliminio menti ingerun-
 tur, ac velut recens transacta oculis obiiciuntur; sic
 vt hesternorum immemores, acta pueritiæ, quæque
 reuolutis aliquot lustris, atq. annorum spatiis menti
 animoque infixæ erant, reminisci nos contingat ac
 recordari, hæc opinor, ratione quod auide atque at-
 tente, summaque admiratione tenella ætas, quæq.
 adolescit atque ad capeffandas præceptorum tradi-
 tiones prompta sit, alacris, expedita, erecta. Siquidẽ
 quum nondum rerum ac verborum mole mens ob-
 ruatur, nec negotiis, vllisq. occupationibus grauior-
 ribus sit distracta, tenacius inhaerent quæ primis an-
 nis animisq. puris instillantur. Caterum quum
 Memoria rerum in priore capitis parte quæ sinciput
 dicitur, concipiatur, vbi sensus primarius seu com-
 munis viget, tum vero quæ eius munere parta sunt
 in posteriore seu occipitio reconduntur, atque as-
 seruantur. Quocirca consulto faciunt qui nucham
 ac ceruices a frigore ventisque tuentur ac muniunt:
 nam hæ partes affectæ epilepsiam, lethargum, stupo-
 rem, paralyfim, tetanum, obliuionem inducunt.
 Quamobrem omnia ea amoliri par est, quæ memo-
 riæ officiant, aut vllam illi iacturam inferre possint.
 Quoniam vero multa animo obuersantur, atque in
 memoriam recurrunt etiam inuitis ac repugnantibus,
 quæ obliuionis tenebris obruenda potius, quam
 ea

*Ratio cur
 pueri ante-
 actorum
 memores.*

*Nucha &
 ceruices
 munienda.*

*Obliuio a-
 liquando
 grata.*

ea patiamur diutius menti inhære, ut inhonesta quædam, ac vitiose parumque decore peracta; plurima autem quæ meminisse expedit, ac salutaria sunt, excidunt, horum accurate habenda ratio, ne ut vulgo fit, istarum rerum delectum ac discrimen sustulisse, aut non obseruasse videamur: quamobrem quæ quisque meminisse velit, subinde ab animo reponat, atque in mentem reuocet, eaque crebro meditetur ac reuoluat: quæ vero excussisse velit atque obliuisci, tamquam noxia ac menti perniciofa, iis ratione ac iudicio acriter obsistat atque obluetetur. Vti enim natura comparatum est, ut mens humana quæ ab integritate delapsa est, pessima pro optimis amplectatur, eaque promptius concipiat atque adiscat: ita quoque tenacius ac fixius inhærescunt deteriora, adeo ut ægerrime excuti queant. Quæ res effecit, ut Themistocles ab illo qui artem memorandi profiteretur, sciscitatus sit; *Essetne ars aliqua quæ non nullarum rerum obliuionem polliceretur; meminisse dum libet, sed non æque facile quæ se præter voluntatem menti ingerunt, obliuisci.* Sunt enim quorum obliuio nobis gratior est, quam memoria: sic ut plerique grauate ferant, obductas cicatrices refricari, ac redintegratione quadam iam pridem sopita sepultaque in mentem reduci. Quo spectat Prouerbium; *Malum quod bene conditum est, ne moueas.* Caterum quum multa passim apud Rhetores obuia sint atque exposita quæ memoriam fulciunt, multaque illi adiumenta pollicentur, non visum est operæpretium, lectorem iis commemorandis demorari, eoque magis quod pleraque operosa sint, ac vix anxia cura obseruari queant. Si quidem ingenii mentisque acies huiusmodi præceptionibus hebescit, ac natia memoriæ vis obruitur. Inter alia autem stabiliendæ memoriæ præsidia, hoc præcipue spectari debet, ut corpus salubre consistat, nec ullis morbis præsertim qui capiti noxam inferunt,

Memoria rerum reuouanda.

Natura vitiosa in deterius prona.

Themistocles obliuionem quare optauit.

Obliuio rerum quando expendenda.

Prouerbiū. Nō mouenda noxia.

Sanitas memoria robur.

K

oriz
ce-
itu-
bus
c e-
uas
nec
tio-
nen-
pita
un-
; sic
que
enti
t ac
at-
aq-
adi-
idē
ob-
no-
an-
m
put
om-
unt
af-
am
nt:
po-
nt.
no-
int.
e in
nti-
am
ca-



Memoria
perniciēs
eruditās
ex crapu-
la.
Ad Herē-
nium lib.
3. titul. 7.
Memoria
vanā par-
vam exi-
git.
Craposte-
na capite
rasura.

expositum. Somnus sit moderatus, corpore non in
 dorsum, sed in latus exprorecto; animus tranquillus
 ac placidus; mens sedata, omnibusq. superuacuis ac
 negotiosis occupationibus libera. Atqui cum hæc a-
 nimæ facultas fragilis sit & delicata, nulla re grauius
 afficitur, quam cruditate, luxuria, intemperantia,
 crapula, ebrietate. Interim in excolenda fouenda-
 que memoria, omnia acciri debent adiumenta, o-
 mnia adhiberi adminicula, quibus illa fulciri possit,
 & augescere; inter quæ est assiduus legendi discendi-
 que vsus & exercitatio, adhibito ordine, ratione, ac
 modo, excussa tumultuaria ac confusa lectione.
 Nihil est quod magis cura, studio, industria, diligen-
 tia, cultu vigescat ac roboretur; nihil quod æque in-
 curia, ignauia, oscitantia, inertia, intercitat atque
 obscuretur. Et quemadmodum vanitas est, vt is ait,
 & iactatio circa memoriæ miraculum arte potius,
 quam natura gloriari; ita sapientis ego iudico, natu-
 ræ dotes atque animi mentisque munera, vt agros
 excolere, ac fœcunda efficere. Iam vero vt aliqua
 præcepta medica referam, quo minus hic fundus ste-
 rilescat, hoc meminerit qui hanc vim stabilem præ-
 stare velit, canandum parcius; aut si largius cana-
 tum sit, inambulet, festius videri affectet, nihil se-
 rii meditetur, aut se anxiis ac scrupulosis rebus defa-
 tiget: vbi vero inter somnum ac canam sesquihoræ
 interuallum intercesserit, quieti se dedat, ac laterâ
 incumbat dextro; diluculo exprorectus omnes me-
 tus expurgandis proluendisq. excrementis destina-
 tos exoneret; primum linguam defricare pergat; ca-
 put eburneo pectine placide demulceat, capillos sibi
 adimi pariatur, præsertim si anni tempus, regio, con-
 suetudo id exposcat: nam hibernis mensibus id ten-
 tare, cæloque Aquiloni ac polo arctico exposito non
 minus insalubre est quam ridiculum. adimunt enim
 sibi naturæ præsidia ac munimenta quæ frigus ar-
 cent.

eent, atque externis iniuriis obsistunt, aliaque asciti-
 tia tegmenta capita applicant. Vbi vero aura placida
 est, regio temperata, calum nec asperum nec rigi-
 dum, raso esse vertice non improbo: effumant enim
 liberius vapores densi qui memoriae efficiunt. Itaq.
 videntur mihi salubri consilio plerique, qui nonnul-
 lis Diuis addicti sunt, atque illorum institutum pro-
 fessi, non superstitionis ratione gestare caput gla-
 brum, atque ad viam curem detonsum: subleuan-
 tur enim hac re omnes qui pituita, qui catarrhis,
 qui dolore capitis conflictari solent, aut quibus ex
 humorum redundantia caligant oculi, aures obsur-
 descunt, nares obesae atque obturatae, sic vt in mor-
 bis quibusdam capitis, in mentis alienatione, desipiē-
 tia, delirio, phrenesi, mania, melancholicis affectibus,
 furore, insania, consultum visum sit medicis abradi
 capillos: quod ipsum non vanum existimari velim,
 cum quisque experiatur, adornata comptaue bar-
 ba, vel ea penitus adepta hilariorem esse se, minus-
 que morosum. Quin multis consultor esse soleo,
 qui vitiosis sunt oculis ac caligantibus, qui sur-
 dastri sunt, aut grauedini obnoxii, vt frictione capi-
 tis, barbæ rasura, aliaque illarum partium commodi-
 tate vtantur, atq. vt cuiq. nationi peculiare est, ton-
 soris opera illas partes permulceri patiantur; non so-
 lum enim venustior quisque efficitur, sed animo mi-
 tiore, magisq. tractabili; sic vt mens exhilarescat, ac
 sit erectior, memoria magis eluceat, spiritus qui ad
 quasuis actiones nos impellunt, excitentur, omnesq.
 sensus paulo ante sopiti se proferant atq. enitescant.
 Quod si os, fauces, palatum subinde colluat, dentes
 defricet, nares emungat, aures a sordibus scalpello
 expurget; pectus tussi, sreatu, sternutamento, popi-
 finite dilatate non desinat, partesq. internas, ventri-
 culum, lienem, iecur, intestina, aluum, vesicam suis
 excrementis exoneret: non solum memoria, sed

*Memoriae
 rasum ca-
 pit cōfert,
 nonnullis
 officit.*

*Memoriae
 barba rasae
 adiuvat.*

*Memoria
quæ confecturunt.*

*Herba quæ
mentem ac-
cuunt.*

*Thymbra
alta a cu-
nila.*

*Memoria
remedium
ubi ex fri-
gidityte &
humidita-
te contra-
ctum est
vitium.*

*Memoria
quæ exigit
a siccitate
orta.*

omnia mentis organa, ac singulæ animæ facultates
citra offensam munere suo defungentur. Quoniam
autem magna ex parte frigida humidaque qualitas
memoriam infestat, illamque obruit, hæc contrariis
est expugnanda, iis scilicet quæ humorem superua-
caneum absumunt, ac cerebro robur conciliant; ut
sunt nux myristica seu muscata, præsertim, quæ non
exucca est & cariola, rosmarini flos, eiusque frutex,
& quidquid ex his confici solet; amaracus, melisso-
phyllon, vulgo melissa; vtriusque differentia stœ-
chas ab insulis nomen sortita, pæonia radix, eiusque
baccæ, fruticulus quem viscum vocant, satureia, hyf-
sopus, thymbra quam vulgo nescio qua inducti ra-
tione, nunc origanum vocant, quæ alia est a cunila,
odoris saporisque inter elixas carnes gratissimi: nam
hibernis mensibus non exolefcit aut emoritur: qui-
bus accedunt betonica, verbasculus odoratus, vulgo
herba paralysis, maron, vel origanum vulgare, aut
siluestris maiorana, ocymum quod basilicon vocant,
vtriusque differentia iridis radix, inula, vulgo enula
campana, raphanus, hoc est, radícula quæ ætate nus-
quam non mensis infertur ad acuendam appeten-
tiam, atque edendi aviditatem: inter exotica autem
& peregrina zedoarium, caryophylli, macer quæ nu-
cem muscatam ambit, zinziber, præsertim viride ac
melle conditum, acorus non adulterinus, casia ac
cinnamomum, carpesium vulgo, ut opinor, cubebe,
myrobalani conditi seu in melle asseruati. Horum
pleraque vel in syrupos redigi possunt, vel in pulue-
res aut condimenta reduci, vel eorum decoctum lu-
mi aut dilutum; ab iis præsertim qui loca frigida hu-
midaque incolunt, ac natura pituitosi sunt. Nam
seniculis aridis, exhaustis, irrigari postulant quum
corpus tum sensuum instrumenta, ac suavi alimen-
torum rore madescere ac perfundi, ut sunt cortices
citri, hoc est, mali Medici conditi, glycyrrhiza, nym-
pha,

phæa, vulgo *nenuphar*, buglossus, & quæ nobis borrago dicitur, vix passæ exemptis vinaceis, passulæ Corinthiacæ, quæque moderate calefaciunt & humectant. Cuius generis sunt mel, zaccharum, vinum subdulce ac minime austerum, butyrum atque oua recentia, nuclei pini, amygdalæ dulces non rancidæ, nec vetustæ, pistacia, castaneæ mollius tostæ, auellana; nam iuglandes memoriæ officiunt, vt etiam cepe quod oculis caliginem infert vapore calido, vt lactuca frigido, somnifica vi ac soporifera; rapa vero ac napi cocti aut elixati, si quem experiri libeat, oculorum claritati adminiculantur, illisque fomenta ministrant ob calidi humidique flatus copiam, qua & semen augent ac Venerem stimulant, si gingibere condiantur. Quod vero ad cerebella attinet, nihil perdicum efficacius in erigenda memoria, nec magis præsentaneum; quibus accedunt passerulorum, omniumque alitum quæ agilitate pollent ac se volatu exercent, de quibus aliàs. Caput lotionibus fatigare, quamquam id plerique non improbant, nulli persuasum cupio; reddit enim craneum imbecille, atque ad lenissimam auræ iniuriam distillationibus ac cattarrhis expositum, pedes vero abluere ex decocto foliorum lauri ac rosmarini, feniculi, non equidem improbauerim; auertit enim a capite vapores ac fuliginem quæ mente offuscat. Quo vero fumi reprimi possint, ac cerebrum minus vaporum concipere, peracta cœna aliquot Coriandri grana prius macerata aceto in quo samfuchus decoctus sit, mox zaccharo incrustata ac tenuiter inducta, occluso ore dentibus conficiantur; dici vix queat, quantum memoriæ profuerit: nec minus efficax est id, quod ex cotoniis conficitur, si ab assumpto cibo non nihil assumatur; discutit enim fumos, ac prohibet vapores sursum eniti; quod ipsum etiam præstant aliquot grana masticis deglutita. Odorifera quoque idētidem naribus

*Cepe oculis
& memo-
ria noxiū.*

*Lactuca
visum ob-
tundit.*

*Rapa spiri-
tus visorios
instaurat.*

*Cerebella
quæ memo-
ria profuit.*

*Caput non
fatigandum
lotione.*

*Coriandri
incrustati.*

*Diacydo-
nion vulgo
carnes co-
tentiorum.*

Mens odoribus recreatur.

Memoria deplorata ut instauranda.

Anacardina confectio memoria utilis.

Quid loquelam restituat.

Vt loquela restituatur apoplecticis.

Agallochi aut ligni aloes vis.

Gallus ut continenter indefessus catillet.

admoueri debent, praesertim quae sunt vibrantis naturae ac calorifica; ut lignum aloes, caryophylli, rosamariniflos, ocymum, nigella, succinum orientale, quod ambra grisea vocatur, zibethum, rosae rubentes, caprifolii flos, spica Celtica, multaque alia quae nullam grauitatem expirant, sed iucundum gratumque odorem exhalant. Omnia enim haec spiritus recreant, suoque effluxu cerebrum reficiunt. Quod si res propemodum deplorata sit atque ad extremam obliuionem quis deuenerit, ut in lethargo, foris nucha & ceruices inungi debent oleo castorei, nigellae, euphorbii, costi, erucæ; intus vero momentum exhibeatur confectio Anacardinae, aut ipsa lingua defricetur: dissoluit enim extreme frigidam humidamque ac viscosam pituitam: sic ut apoplexia percussis loquelam restituat, linguamque haerentem refulciat, quod ipsum & oxymelle scyllitico perfici potest, ac vino ardente, in quo grana aliquot erucæ macerata sunt; ad haec enim tamquam ad sacram anchoram confugimus in deploratissimis morbis; in mitioribus vero alia iam memorata adhiberi possunt, ut serapion de stoechade, dianthos dulcis, aurea Alexandrina, diacastoreum, pliris cum musco, theriaca ac Mithridaticum. Experimento autem ac quotidiano usu comprobatum est Agallochum, quod vulgo lignum aloes vocatur, vel suffitum, vel naribus admotum mirifica esse vi in corroborando cerebro ac sensibus excitandis, adeo ut si in puluerem redigatur admixtis aliquot caryophyllis, atque osse de corde cerui, eaque oleo nigellae commiscantur, eas vires conferre cerebro; ut si galli galinacei vertex eo oblinatur, cantillare ac crocure non desinat.

Do

De Calidi & sicci corporis statu & habitudine: obiter qua sit natura, conditione, ac moribus animiq; propensione homo biliosus seu cholericus.

CAP. V.

Quum nihil sit in externis naturæ rebus diuturnum ac stabile, nec quidquam vigorem suum conitanter tueatur, sed omnia iacturam patiantur ac vergant in deterius; tum humanæ quoque res varias mutationum vices subeunt, grauesque lapsus atque inclinationes patiuntur: sic Calidus & humidus corporis status ætatis progressu ad calidum siccumque habitum deuoluitur. Siquidem calor humorem natium sensim taciteque absument ac depopulatur, totique corpori siccitatem adfert, quæ qualitas ad proferendam vitam naturæ est aduersissima. Ut enim accensis cereis ac funalibus flamma pabulum & qualiter fomitem depascitur, quo exhausto, vtrique extinctio imminet & interitus; ita insitus calor succum geminum quo subsistit ac fouetur, pedetentim imminuit, sibi que atque vniuerso corpori exitii causam ministrat. Corporis autem constitutio quæ ex calida ac sicca qualitate emergit, ab eaque appellationem sortitur, aducto per eas qualitates humore feruido, hominem biliosum constituit, ob flauam scilicet bilis redundantiam: cuius humoris duo constituuntur discrimina; vnum naturale, alterum quod præter naturam corpori inest. Naturalis autem bilis excrementum est concocti sanguinis sapore amaro, colore vero effectoque igneo. Flauescit enim ac splendida est, vbi hepatis calor moderatus existit; vbi vero viscus hoc plus satis accenditur, ebullit quoque bilis atque effervescent: illique color in luteum obscuratur; qualis conspici solet exoticus ille liquor aut zythus qui Belgis Iopenbier nominatur, aut vbi oleum ac butyrum liquefactum vritur,

Omnia mutatione obnoxia.

Simile & cereis ac funalibus.

Homo cholericus.

Bilis naturalis & præter naturam.

Simile & ceruisia & olei coloris.

*Flava bilis
munus.*

*Ira quid
& unde.*

*Bilis per
quas par-
tes expur-
gatur.*

nimioque feruore torretur, atque ignescit; quo fit ut fuluus color in opacum atrumque colorem demigret, qui etiam in externa cute nonnumquam se profert, vbi diffusus biliosus humor in cutem erumpit. Flava autem bilis geminum in corpore munus obit: nam pars eius sanguini mista transit in venas, quo is commodius angustos quosque meatus penetret, atque ad membra quæ bilis nutrimentum exposcunt, deferatur. Pars cætera ad fellis folliculum, iecoris infimæ parti adnexum relegatur, mira solertia id prouidente naturæ opifrice; ut cui visceri attrahendi perficiendique alimenti vim admirabilem esset elargitus, conceptaculum quoque superuacanei inutilisque humoris adiungeret, ne quid incommodi ad reliqua membra hinc possint deriuari; siquidem bilis eius est naturæ, ut vim igneam proferat, cuius motu atque agitatione velut face subdita, excandescimus atque animo concitamur. Vnde apposite, Ira definitur ardor & ebullitio quædam sanguinis circa cor, qua cerebrum quoque incalescit ab humore bilioso excitata, quæ si quando illata est iniuria, vltionis est auida. Inferioribus vero partibus eum vsum præbet ut intestina ad excrementorum deiectionem extimulet, irriterque: cuius rei causam prouida solersque natura excogitauit ac emolliendisq. huiusmodi superuacaneis humoribus, nempe renes atque vrinarios tramites, intestinum ieiunum, quod ab influente bilis acrimonia continenter excrementa excutit, vesicam, aures, & subcutanea spiracula, quæ pori vocantur, discutendis sudoribus destinata; quorum pleraque si obstructione laborant, totam noxii humoris colluuiem intus cohiberi contingit, atque in præcipuas aliquas partes impetum facere. Sic vbi folliculus fellis seu bilis flauæ receptaculum, ea sentina quam ab hepate exhaustit, exonerare se nequit, illam vel in ventriculum, vel in iecoris cauitatem.

tatem refundit: quo fit, vt per vniuersum corpus bilis effusa sanguinem quum qualitate sua, tum colore inficiat: hinc Ictericus & morbus Regius, sic dictus, quod exquisitissimum victum ac mensam regalem exigat, qui corpus vndique auriginosum efficit, hoc est, luteo ac flauo croceoque colore perfusum vt argentum incrustatum auroque obductum. Quod si gracilia intestina, seu Iliæ affici contingat, intolerandi cruciatus, clamorifque dolores ac torturæ excitantur. Ilion hoc malum vocant, & conuoluulum, quod ad chordæ similitudinem intestina conuolui ac contorqueri videantur. Contrahitur autem hic morbus vel ab inflammatione, vel ab aridi tostique stercoris obstructione, quum biliosi humoris minor copia eo confluat, quam vt excrementa possint excuti, ita si superior intestini pars affecta est, cibus; si inferior, oleta per os egeruntur, podice tam arcte occluso, vt ne flatus quidem ab illo prodeat: multos præterea affectus flaua bilis parit, vt tertianas, vrentesque febres, vbi extra venas illi putrescit: verum quum in Medicorum libris passim obuii sint & accurate descripti, illorum narratione supersedendum existimo. Cæterum quæ sit calidi & sicci temperamenti, denique biliosi hominis natura & conditio, tum quibus argumentis deprehendi possint, obiter indicandum. Principio, vt externas notas persequar; Corpus huic constitutioni calidum, gracile, macilentum, musculosum, longitudine decenti ac moderata; quorum plerique tametsi statura pusilla conspiciantur, ac minus procera, alacres tamen sunt, erecti, agiles, inquieti, atque vt apes insecti genus exile & minutum,

Ingentes animos paruo sub corpore versant.

Color vero iis fuscus aut rubore quodam perfusus, præsertim vbi incandescunt, aut incalescit exercitatione corpus, plerisque autem pallidus aut sub-

*Morbus
Regius vnde
de dictus.*

*Ictericus
inauratus.*

*Iliaca
passio.*

*Nota calidi
& sicci
status.*

*Simile ab
agilitate
apum.*

*Virg. lib. 4.
Georg.*

luteus, cutis hispida arteriis venisque amplis ac conspicuis (neque enim sub carne delitescunt) ut quam simul cum adipe calor dissolvat, urina rubicunda, crocea, flava probabilis ac ferè oris ratione: pulsus citus ac velox, uti etiam incessus; lingua volubilis & expedita; capillus vero niger, plerisque crispus, atque intortus, ubi calor & siccitas est intensior, qui serius canescit, at ob siccitatem cito defluit; nasus magna ex parte aquilinus & aduncus: nonnullis autem præsertim Germanis, Sarmatis, Pannoniis ac Belgis rutila barba, ac flava cæsaries, quod evenit ex splendida lucidaque ac sincera bili, quæ a calore feruido non deurit. In Belgica autem a popularibus notari solent Ænobarbi, hoc est, rutila æneaque barba insigniti, aut quibus capilli rufescunt; quod illorum moribus aliquid vitii subesse censeant, aut improbitatis quandam maculam in animo menteque occultari ac residere. Ut enim Themistoclis pædagogus nihil mediocre in illo futurum pronunciauit, sed aut insigne Reipubl. commodum, aut detrimentum: ita Belgæ quoque dictitant ab eiusmodi hominibus aut speranda optima, aut deterrima. Quin & hæc iactatur Prouerbialis sententia, *Roter Bart selten gut, offte van Iuden art*: hoc est, lutæ aut fluxæ barbæ homines raro laudatæ esse indolis, aut spectatæ integritatis: quod in vita ac moribus omnique actione improba quædam calliditas, & insidiosa astutia lateat, quæ in negotiis, contractibus, mercaturis, alterius dispendio se prodit, ac palam facit quibus sint artibus & fallaciis instructi. Quod ut in plerisque eius notæ hominibus, quoniam laudabilis desit institutio, obseruari fatear; ita complures monstrari posse video, quibus is color, ac barbæ apparatus ad summum decus & ornatum nihil officiat, quin potius ad decorem sit adiumento: passim enim in aulis principum, in consessu cœtuque procerum,

inter

Unde flava cæsaries.

Prouerbiū in rubenti barba homines. Themistoclis ingenium.

Suspecti anobarbi.

Barba rutila non semper improbum designat.



inter negotiatores honestos, & quotquot præ cæteris Aquilonios tractus occupant, multi conspiciuntur virtutis spectatæ ac singularis prudentiæ, qui in rerum publicarum functionibus præclare se gerunt, omnibusque se integros præbent & inculpato: ut vir illustris Petrus Carbonarius Brugis oriundus, qui non vni suo Lemnio, sed optimatibus quibusque Venice charus acceptusque est; qui sibi demandatas ac commissas legationes, quæsturas, prætorias functiones summa cum laude obit atque exequitur. Quod autem triobolares quidam, infimæque sortis homines ea barbæ specie & colore futiles sint, plerimarum, qui hac atque illac profluunt, nec quidquam pensi habent, aut fragi sunt, corruptæ educationi tribuo, quæ naturæ proclivitatem ad vitiosos mores pertrahit: hinc enim efficitur, ut quisque tales inconstantibus experiatur, fallaces, subdolos, vafros, astutos, ingenio vario, versatili, versipelli, *παρούργω*; obiter Punica lubricaque fide, ita ut in negociandi contractibus non desit consultum illis fidere; ut qui tamquã anguillæ ac muræne, elabantur, atque in negotio quamlibet intricato se expediant atque eluctentur. Quibus si accedant alia corporis vitia, deterior est illis naturæ cõditio, magisq. improba. hinc scite Martialis;

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine lesus:

Rem magnam præstas Zoile si bonus es.

Quæ vis illis indita est partim ab astrorum influxu, nempe Solis & Mercurii vi; partim quæ mihi videtur præcipua ac potior, ob humoris biliosi ac spirituum tenuitatem, quæ calore subtili perfusa ad huiusmodi actiones illos incitat atque impellit. Sunt præterea inter hos variæ conditionis homines, nempe ardeliones, hoc est, homines inquieti, clamosi, feruidi, volubiles ac præcipiti quadam dicendi celeritate, quibus ut apposite Iuuenalis;

Petrus Carbonarius.

Unde præsi rutilorum mores.

Homines lubricæ fidei.

Lib. 6.

Ardeliones qui.

Satyr. 3.

*Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus & Isao torrentior, obiter illos
Esse putes quemuis hominem; tum dicier apte
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, alyptes,
Augur, schenobates, medicus, magis omnia nouit.*

Quales fere conspici solent pantomimi, histriones, circulatores circumforanei, agyræ, hoc est, qui plebem ad nugas conuocant, rabulæ, spermologi, bucentæ, qui incessu, manu, vultu, oculis, voce, gestibus actiuosi sunt ac iactabundi, omnibusque se negotiis, contractibus, actionibus, conciliabulis, sodalitiis immiscent atque ingerunt. In somno tumultuosi ut qui exiliant, ob feruidos spiritus qui etiam sopore oppressos erigunt atque ad motum incitant, Multifariam enim flaua bilis mentem hominum informat, variosque mores, studia, animi propensiones ac motus profert. Hinc siquidem euenit ut quicumque calida & sicca constitutione existit, atque inter cholericos censerit soleat, ferox sit, imperiosus, indomitus;

Hor. in art.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer;

Poetica.

Iura negans sibi nata, nihil non arrogat armis.

Iuuen. sat. 6.

Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Qui tamen ut leni momento incandescat, ac sit natura irritatior: ita subsidente bile cōfestim deferescit ira, ac redditur placabilis. Cæterum quum præter flauam bilem quæ vna naturalis dicitur, plures sint humoris huius differentiarum, ac sua cuique natura & conditio, de singulis obiter differendum.

Pallida bilis, vulgo atrina.

Principio a flaua bili procreatur pallida, eo quo malum Medicum quod citrium vocant, colore, ex viridi in luteum languescens: viget autem ineunte vere vna cum sanguine iuuenili & quod in dies adolescit, corpore; quo fit ut ea ætas illo anni tempore tertiana febris infestari soleat, si quando is humor oborta obstructione, putrescit atque extra venas effusus in-

Febris tertiana unde.

flamma-

flammatur: cui affinis est spuria nothaq. tertiana, sic dicta, quod non ex sincera flaua bili, sed nonnulla pituitæ parte excitatur. Nam æstuosa febris, quæ *Febris æstuosa.* *καύσος* Græce ab ardore dicitur, ex rubra chole- ra intra venas concepta putredine, accenditur, quæ deliria ac phrenesim, mentisque alienationem inducit. Siquidem sic affectis absurda quædam simulachra animo obuersantur, ac mentem formidine nocturnisque facibus trepidantem;

Exagitat vesana quies, somniq. furentes,

Atque aliena premit vani terroris imago.

Luc. lib. 7.

Omnia siquidem iis cōflagrare videntur, atq. ædificia, villa, prædia incendi funestisque cadibus ac tumultu bellico omnia compleri, quorum pleraque etiam citra febrim euenire solent, bilis fuligine ac fauillis in cerebrum delatis. Quæ si quando corpori mentique infesta esse pergunt, confestim expurgata bili vomitu, sudore, alui deiectione, quæ radice Pontica perfici potest, atque vrinam prouocantibus, *Bilis quæ liter purganda.* vt est vesicaria, asparagus, apium hortense, anisi & feniculi semen immutanda victus ratio; reiectisque calidis, pinguibus dulcibus quæ in bilem promptissime transeunt, præter vuas passas & glycyrrhizam, hoc est, radicem dulcem, exhibenda quæ sanguinis feruorem temperant diluuntque. In primis autem *Somnus biliosus utilis.* somnus inducendus lactucis atque acetariis, quæ cerebrum omnesque partes humectant ac reficiunt. Quum autem calidis & siccis omnibusque biliosis multa noxia sint & perniciofa, tum nihil immodico labore, vigilia, inedia, iracundia, Venere immoderata nocentius. Singula enim horum vires exhauriunt ac depeculantur: neque enim aridis ac macilentis *Simile a saginandis pecoribus.* quidquã adimi potest, quin potius saginari postulât, atq. vt pecudes opima iriguaq. pascua; ita illi delicias *Simile ab arborum putatione.* mensas exigunt. Quemadmodum enim arbores & virgulta quæ ramis & fronde minus luxuriant, pu-

*Vitellina
bilis.*

*Oleum ca-
mino ad-
ucere.*

*Porracea
& prasina
bilis.*

*Lib. 2. præ
dict. c. 39.*

*Ærugi-
nosa bilis.*

tationem respuunt, nec coërceri ferro sustinent; ita extenuata corpora, & quibus multa defunt, quod ad firmum corporis habitum spectant, nulla sui parte mutilari, aut iis quidquam eripi debet. Cæterum alia est bilis species quæ a naturali ratione ac modo excessit ac degeneravit, Vitellina medicis dicta ab ovi luteo, cuius colorē refert & consistentiam: nam immodico calore crassescit, atque igneum intenseque luteum colorem concipit, quam si putrescere contingat, atque inflammari, ardentissimas illa febres excitat. Quocirca cum hæc bilis a mediocritate descivit ac delapsa sit, contraria instituenda victus ratio, quæ extraneam qualitatem demoliri possit atque excutere: nam si similibus nutrimentis illam fovere tuerique pergas, exasperabis intemperiem, atque oleum flammæ adieceris. Est & alia bilis species Porracea, a porri virore nuncupata: nam viridescit atque herbaceo colore conspicitur, quæ in ventriculo ex vitiosis pravisque succis gignitur, atque oleraceis, cuius generis sunt allium, porrum, cepe, nasturtium, eruca, brassica, beta, cherephyllon: quum enim huiusmodi alimenta a natura domari vincique nequeant, ac concoctione in salubrem succum elaborari, ex his porracea bilis conflatur, quæ nonnumquam vomitu excussa, linguam & fauces amarulento acutoque sapore imbuit ita, vt ægre suaviori liquore elui queat atque aboleri. Solet quoque noxius is humor nonnumquam in iecore ac venis ex gravissimis morbis produci, si quando bilis lutea deuritur vehementi extranei caloris incendio, quem vomitione excussisse perniciosum atque exitiale Hippocrates pronunciat. Ex hac producitur aliud etiam excrementum tum reliquis deterius, ab æruginis similitudine Æruginosa bilis vocata, quæ ex porracea vehementius deusta conficitur. Siquidem excocta intensiore calore humiditate inarescit, atque

atque æruginis speciem æmulatur, quod ex ignitis rebus, quibus bilis natura aptissime componi potest, dilucide perspiciamus: nam ignis vis primum in candentes prunas ligna demutat, deinde in atroces carbones, postremo deflagante prorsus igne sopitoque calore, in cineres: ita in corpore humano, primo crocea bilis conficitur; deinde inualecente calore præter naturam porracea, cui succedit æruginosa, postremo glauca ac cærulea, quod Glasti & Isatidis herbæ qua fullones ac tinctorum pannos inficiunt, colorem referat, qui postremo in exactam atram bilem trasmutatur. Quæ bilis species venenatis qualitatibus imbuta, mentem malitiosis moribus, corpus vero fœdis morbis contaminant; quorum pars magna ægre expugnari possunt, ac medicantis opem respuunt, ut sunt Carcinomata, cancri, phagedæna, ab exedendo nomen sortita, mentagra, morphea, carbunculus, facer ignis, qui vulgo Antonio ascribitur, herpes, Estionemus, quam aulici, qui fere illi obnoxii sunt, Lupum vocant, nam cutem exulcerat, ac carnem ad ossa vsque depascitur, illaque cariosa efficit, ac membro vitam sensumque doloris adimit; quibus accedunt complures alii formidandi ac contagiosi morbi, quos hæc humorum colluies secū deuehit, sic ut non aliud, quam olidum & putre cadaver homines circumferant,

Simile ab igne & carbonibus deflagrat. Glastura vveet.

Bilis malignitas.

Lupus morbus.

Virgilius Æne. 3.

Atq; artus fœda sanie, taboq; fluentes.

De frigido & sicco corporis habitu; cui quoniam homo Melancholicus subest, atq; atræ bili obnoxius, illius quoq; natura & conditio explicatur, quaq; ratione expugnari possit edocet.

C A P. VI.

FRigida & sicca qualitatum coniugatio habitura cōstituit longe deterrimum, quum. n. vitæ salus & conseruatio in calido & humido consistat: cui cede

Mors quid. illa qualitas & corporis constitutio approbari posset, quæ vitæ fomenta ac valetudinis præsidia conterit ac depopulatur? Videmus enim in tota natura rerum ac vicissitudine stirpes, animantes, homines, quæque spirant, si quando calida & humida qualitate spoliari contingit ac destitui, spectare ad interitum. Neque enim Mors aliud statui potest, aut aptius definitione explicari, quam vitæ ac spirabilis naturæ abolitio, atque interitus, primarumque qualitatum quibus humores subsistunt ac fouentur extinctio. Si quando itaque ad has qualitates deuentum sit vel ex morbi conditione, ac natura, vel ætatis ratione atque annorum decursu, quisque sibi mortem imminere persuadeat, ac non procul abesse vitæ terminum; nam incertos atque inopinatos casus qui omnibus momenti cuique nostrorum impendent, huc non referendos duco, quod præter naturæ rationem ac violenter ingruant, vitamque præmature depopulentur: qui vt nemini terrori esse debent, aut metum incutere, vbi vel iter ingreditur, vel mari se committit, quum Christiani hominis sit successum euentumque totius negotii, diuinæ prouidentiae cui innititur, commendare: ita etiam in hoc corporis habitu cui extrema minantur, non est quod spes infringatur aut languescat curandi corporis industria: sed dum aliquid vitæ superest, ea adminicula ac fomenta adhibere non desinat, quæ vsui esse possint in producendis annorum spatiis, nam multa nobis Dei munificentia suppetunt, quibus id cumulate perfici possit; vt enim arbores infœcundas, cultu atque industria feraces reddimus, atque agros steriles, longoque arandi serendique vsu exhaustos, stercorando instauramus, ac restibili fœcunditate postliminio sementi messi que reddimus idoneos: ita quoque corpora arida atque ad siccitatem inclinata alimentis naturæ fouendæ accommodis erigimus atque ad de-

stinatum

*Homo mul-
tis casibus
expositus.*

*Securitas
hominis
Christiani
vnde.*

*Non de-
spondendus
animus.*

*Simile ab
arborum
& agrorum
cultura.*

stinatum præfixumque vitæ terminum, tamquam ad optatum portum prouehimus; cuius rei potiundæ spem, ac consequendę productionis vitę fiduciam, nemo, si æquus sit rerum humanarum æstimator, improbare poterit, modo erecta in opificem, penes quem omnia consistunt, mente ac voluntate, ad illam sua quisque vota referat, illiusque arbitrio singula moderari fateatur. Ceterum quum humor melancholicus frigidæ & siccæ qualitati subsit, nec vlla statui potest habitudo, quæ hinc emergit deterior, aut minus commodam valetudinem constituat, de huius conditione, natura, effectu, viribus, differentiis, & quantopere corpus animumque efficiat, differendum. Est enim maxima hominum pars ineunte vere & autumno, quibus anni temporibus is humor redundat atque effunditur, melancholicis affectibus obnoxia, præsertim qui rebus politicis aut studiis literarum atque intempestiuis lucubrationibus sunt addicti. Siquidem ex immoderata mentis agitatione natiuus calor extinguitur, ac spiritus quum animales, tum vitales attenuati euanescent; quo fit vt exhausto vitali succo ad frigidum siccumque habitum deuergant. Dux autem constituuntur melancholici humoris differentiæ; vna naturalis, altera quæ præter naturam corpori inest. Melancholia vero quæ homini natiua existit ac familiaris, ceteris mitior est, minusque infesta. Nam cum sanguine in venas delato, suæ sortis ac conditionis membra alit, illisque nutrimenta ministrat, vt sunt ossa, cartilagines, ligamenta, nerui. Est enim is humor decoctis ac liquidis quadrupedum pedibus non absimilis, qui lentore quodam inter edendum digitis labrisq. vt viscus, adhærescunt; quo fit vt retinēdi vi sanguinem irabuat, ac reddat spissiozem; quoniam vero quando sanguini subest, atque eius dulcedine diluitur, vt acerba vua melle vel zaccharo, ob id saporis existit non acido

*Quatenus
aliquid o-
ptandum.*

*Melancho-
lia nemo
non parti-
ceps.*

*Lib. 2. A-
phor. 20.*

*Studiosi
melancho-
lia exposi-
ti.*

*Melan-
cholia des-
plex.*

*Melancho-
lia cui hu-
mori simi-
lis.*

*Simile ab-
elixati a-
nimātuna
pedibus.*

*Qui sapor
humori
melancho-
lico.*

*Simile ab
acerbo vil-
lo*

*De locis
affect. lib.
3. cap. 5.*

*Quid Bel-
gii Droec-
sen in mu-
ro.*

*Splenis v-
sus & na-
tura.*

prorsus aut peracerbo, ut ea quæ fauces exasperant, sed subaustero, quem Ponticum vulgo vocant, qualis est maturescens vva ex qua mustum exprimitur, quum nondum exactam maturitatem consecuta est; quale desinente autumno e Germania ac Gallia in Belgicam defertur ad explendam hominum aviditatem ac desiderium, quod quum gustu sit acerbissimum ut linguam radat, melle ac fauo condiunt, quod fastidiosus magis sapiat, ac palato sit gratius. Atqui ut floeces & amurca olei, ut fax vini naturam redolet, eundemque saporem atque odorem aliqua ex parte refert; ita succus melancholicus qui a sanguine defluxit, eius salivam gustumque retinet, quo circa minus apposite atra bilis hic humor vocari sustinet, quum nulla adsit adustio; sed ut Galenus ait, sanguis aut succus melancholicus, quæ nihil aliud est, quam siccior densiorque pars sanguinis, facti qui subsidet atque in imum doli decumbit, vigoremque vini conseruat ac prohibet evanescere, prorsus assimilis. Et quemadmodum vini infimum seu floeces, hoc est, purgamenta ac fæculenta proluuies, quæ Droesen Belgis dicitur & moeder, vel potius a lutulenta turbidaque face modder, vsui est nostratibus in conficiendo vino caustico seu vrenti, quod aquæ vitæ vel ardentis nomine plebi innotescit. Ita succus melancholicus, qui, ut triuiali verbo rem designem, sedimen est & colamentum sanguinis, salutarem usum habet atque utilitatem: nam pars vna venas subit, suamque operam sanguini præstat; altera superiori cognata & affinis, ab hepate in splenem derivatur, quæ postmodum in ventriculum effusa, cui sinistra parte incumbit, suaque acrimonia ad ciborum appetentiam, atque edendi aviditatem stimulat, irritatque. Est autem id viscus molle, rarum, fungosum, spongiæ assimile, conceptaculum eiciendis sanguinis facibus destinatum, quod plerumque ita turgescit,

gescit, in eamq. molem attollitur excrementorum
affluentia, vt hominem oppressurum videatur, quod
ipsum queritur Plautinus leno Cappadox;

*In Cureul.
Act. 2.*

Valetudo decrescit, accrescit labor.

Nam iam quasi zona liene cinctus ambulo,

Geminos in ventre habere videor filios,

Nihil metuo, nisi ne medius disrumpat miser.

Quæ corporis pars quoniam agilitati officiat, ac
veredariis, cursoribus, velitibus, ferentariis moram
inferat, atque impedimento fit; persuasum fuit olim
imperitæ plebi vel eximi id viscus, vel admoto cau-
terio aduri; quum absq. vitæ iactura adimi nequeat,
vt nec castori amphibio, hoc est, ambigui generis ani-
manti testes, quos nugantur venatores ab illo mor-
dicus abripi, atque insequentibus obiici, quo vitam
redimat: quamquam id viscus si supra modum intum-
escat, cohiberi potest ac reprimi absinthii Pontici
ac vulgaris vsu, asplenio, polypodio, fena, epithymo,
rosmarino, cappare, cassuta, fumaria, phyllitide, quæ
vulgo scolopendria, ac lingua ceruina nominatur,
amygdalis amaris, nucleis persicorum, tamarice ac
mirica: nam si excreseat, corpus attenuatur ac ma-
cilentum efficitur, sic vt apposite Traianus impera-
tor fiscum spleni pronunciarit assimilem. Vt enim
vbi fiscus atque ærarium principum augetur ac locu-
pletatur, atteritur populus; ita excrecente splene
contabescit corpus ac inacie conficitur. Quum itaq.
excogitatum sit hoc membrum a naturæ opifice, vt
hepar despumet, atque ab impuro lutulentoque san-
guine reddat purgatius; modis omnibus efficiendū,
ne quid incommodi concipiat: siquidem liene ob-
structo aut imbecillitate affecto, succus melancholi-
cus per corpus vndiq. diffusus fuliginoso ac fusco co-
lore cutem inficit, mentique variis imaginibus ac
spectris infestus est.

*Splen agi-
litati offi-
cit.*

*Splenena
non posse
adimi.*

*Quæ sple-
neticis v-
sui.*

*Splen fisco
assimula-
tur.*

*Traiano
Casari.*

Splen unde risum moueat.

Seueri vino exhilarescunt.

Melancholici quando effuse hilares.

Tetrici assuescant sodalitiis.

Simile ab ignis agitatione.

Quod si munere suo probe defungitur, ac sordes sanguinis exacte combibat, hilaritatis ac gestientis effusaque lætitiæ occasionem hominibus præbet: ex sincero enim, atque a limosa face expurgato sanguine spiritus lucidi purique emanant, a quorum puritate mens exhilarescit, atque inter festiuos sodales in iocos, risus, facetias, lepores, læsciuiam sunt effusi; quod etiam vuidis vinoque liberalius perfusis vsu venire solet, qui tamen si natura tetrici existant, atque in omni vitæ actione, frontē, oculis, superciliis, incessu seueritatem quandam præ se ferant, vbi vino incalescere incipiunt, atque inter præstantioris formæ nymphas versantur, frontem exporrigunt, omnemque ingenii ac morum asperitatem excutiunt. Sic noui spectabiles aliquot ac Senatorii ordinis viros vel ex naturæ conditione, vel vitæ assuetudine ab omni prorsus hominum contubernio alienos, facie vultuque seuero, caperata fronte, adductis superciliis, oculis toruū intuentibus, & qui subinde in obliquum detorti, obuiis minitari videantur, ipsoque aspectu terrorem incutere; qui tamen in puellari confessu, coetuque Geniali detecta persona habituque Stoico in obeundis saltationibus ac tripudiis perficiendis, agiles essent, & expediti; verum peracta nuptiali celebritate, rursus ad ingenium, ad pristinos mores, ad solitam grauitatem erat reditus. Quibus ego consultor esse soleo, vt huiusmodi sodalitiis se ingerant, illosque congressus crebro venentur; quo expoliri possint humanitatis vsu & consuetudine, atque ab illa personata seueritate desuescere, sibi que ad connubii societatem aditum patefacere. Spleneticiis itaque & quotquot natura mœsti sunt, menteque obnubila, moderatus vini vsus, corporis agitatio, hominum conuentus & frequentia, commodam valetudinem vitæque suauitatem pariunt: hæc enim viuendi ratione, calor natiuus vires concipit, atque

atque ut ignis crebro motu splendescere ac scintillare incipit, spiritus quoque sopiti exhausta atri humoris sentina, discussaque fuligine, reuiuiscunt, ac fulgore suo omnes sensus quorum mens utitur ministerio, collustrant, atque ad singulas actiones instruunt. Quo mihi non prorsus absurdum, nec a veritate alienum existimari solet carmen id, tamen si triuiale ac minus elaboratum;

Mens sapit, & pulmo loquitur, fel suscitatur iras.

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

A quorum viscerum functionibus non excluditur *Cordis principatus.* cor, vitæ ac caloris insiti fons, vitalisque spiritus origo, ut cui vis adsit ac facultas in obeundis naturæ munis vel præcipua; ab eo enim viri sapientia celebres, ac rerum cognitione imbuti, Cordati appellantur; *Cordati qui.* & qui ab iis remotiores, vocabulis designantur ab impotentia animi desumptis, aliisque affectibus qui a temperantia ac moderatione longe dissident: hinc Socordes denominati, qui desidia, languori, otio, *Socordes qui.* ignauia se dedunt, quos nostræ ætatis Theologi Accidiosos vocant, hoc est, tardos, improuidos, inertes, oscitantes, desidiosos, negligentes; quique iis rebus non inuigilant quæ optimi patris, ac seruatoris Christi nomen illustrant, nec ea consecrari curant, quæ illis ad beate viuendum salutaria sunt ac fructuosa. Vecordes vero cæteris deteriores existunt, *Vecordes qui.* qui non aliud, quam fraudes, imposturas, cædes, insidias, incendia, proditiones, ciuium damna, ac patriæ clades meditantur, atque nefanda scelera animo menteque concipiunt; quæ internæ labes, ac *Mentis turbata signa.* mentis vesaniæ in oculis, facie, vultu, fronte, superciliis, totaque externa specie ac corporis habitu euidenter se proferunt, in quibus deprehensi æstuant, obmutescunt, hæsitant, dissimulant, tergiuersantur, diffidentur, aut ambigue ac perplexe respondent, denique vel culpam in alium transferunt, ut Adamus, *Genes. 2.*

*Catiline
vultus.*

1. Reg. 10.

Genes. 4.

*Cain diffi-
dentia ex-
emplum.*

*Excordes
qui.*

Galat. 3.

*Cordis &
cerebri cō-
sensus.*

*Mens cor-
di mini-
strat intel-
gentiam.*

*Felira
fons.*

vel ægre se expurgant; quale nobis exhibuit speci-
men apud Salustium Catilina homo factiosus, atque
in patriam ac ciues seditionis facibus armatus; cui ex
conscientia scelerum, ac mentis inquietudine, color
exanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus in-
cessus, prorsus in facie vultuque vecordia inerat. Si-
mili quoque furore Saul rex ad perpetrandas cædes
multaque funesta impulsus est. Cain quoque iis-
dem furiis ac mentis stimulis agitato, quod frater-
na cæde cruentus esset, omnem sibi ademit salutis
spem, omnem interclusit veniæ aditum. Quum
enim Dominus patrati sceleris confessionem extor-
queret, atque illum de immani crudelitate appella-
set, Cain tamquam nullius sibi culpæ conscius, nihil
compertum se habere testatur, quo loco hæreat fra-
ter, qua sit valetudine, quid rerum gerat, & quibus
sit implicatus negotiis, impudenter se ignorare pro-
fitetur. Emergunt præterea ab imminuto corde
menteque parum firma, a qua appellationem for-
tiuntur Excordes, quibus nonnulla melancholiæ
pars subest, sed perexigua. Sūt enim rationis inopes,
stolidi, insulsi, insipientes, stupidi, deliri, quos scri-
ptores minus culti insensatos vocant; Diuus Paulus
quum Galatas stultitiæ insimulat, *ἀνοήτους* vocat,
hoc est, crassos, indociles, tardos, stultos, ac rerum
salutarium minus capaces, aut qui confestim ab in-
stituto conceptaque doctrina resiliunt. Quocirca ce-
rebrum seu mentis principatus tum cordis robore
ac viribus consentit, mutuasque inter se operas con-
ferunt; sic apposite cordati appellantur, in quibus vi-
get mens, ratio, iudicium, intelligentia; illis enim
præsidis res magnas fortiter atque animose aggre-
diuntur, quæque animus concipit, sapientia duce
perficiunt atque exequentur. Cætera vero iam me-
morata viscera sua quoque vi atque efficacia instru-
cta sunt; sic Feliracundiæ causam ministrat, atque
ad

ad iram, rixas, contentiones, iurgia, pugnas occasionem præbet: Hepar vero sanguine redundans, ac vino concalefactum, renes in amplexus ac concumbendi desiderium, in libidinem, in luxum, lasciuiam incitat: Cor autem cogitationes & conceptus, sensaque mentis pulmonis ac vocalis arteriæ adminiculo, tum vsu linguæ quæ proferendæ voci inseruit, exprimit, ac mentis consilia denunciat: Splen, nisi quid obstat, hoc homini præstat, vt in iocos, risus, cachinnos, lasciuiam, petulantiam effusus, nihil minus, quam ser. a meditetur. Econtra vbi id membrum impuri humoris confluxio obruitur, atque vel imbecillitate, vel obstructionis impedimento, iecur operam suam deneget, multa secum adfert incommoda, quæ menti æque ac corpori infesta sunt, nempe mœrorem, tristitiam, metum impendentis mali, pauorem, anxietatem, formidinem, desperationem ac diffidentiam, hoc est, nullam spem ac rerum meliorum expectationem; quæ animi mentisque affectus atque ægrotudines hominem immaniter excruciant, vexant, dilaniant, adeo vt etiam totius corporis forma ac decor euanescat, omnisque externa species, tamquam pavimentum, fuligine obscuretur, non secus quam in ædibus ex fumo vndique diffuso, nitida quæque fusca efficiuntur ac fuliginosa: quum enim humorum sordes affluentius eo confluunt, quam vt calor atque insita membri vis possit conficere, grauiore mole labascit atque opprimitur. Vt enim quiuis baiulus aut operarius gestandis oneribus impar corruit, suo plerumque ac rerum quas deferendas suscipit, damno ac iactura; ita vbi in illud viscus plus succi melancholici decumbit ac deriuatur, quam perferre queat, aut concoctione domare, plurima hinc detrimenta, variosque morbos concipit. Siquidem liene affecto, ventriculus cruditate, nauſea, fastidio, ructibus

Hepar libidinis causa

causa renes.

Pulmones

lingua con

ceptus de

nunciant.

Splen con

letitia

causa.

Splen mē

tem abnu

bilat.

Perturba

tiones ani

mi.

Simile a

fumosis a

dibus.

Simile a

baiulis.

Splenē

morbis.

acidis infestatur; hypochondria seu præcordia inflantur ac tumescunt; corpus fit gracile atque extenuatur; gingivæ purulentis pustulis exulcerantur; dentes efficiuntur lutidi, rubiginosi, mobiles, cani, exesi; os foetidum, fauces olidæ,

Per. Sat. 4

Gutturæ sulphureas lente exhalante mephites.

Ad splenis quoque morbosam intemperiem, affectusque vitiosos hunc morbum refero, quem veteres Stomacacen & Scelotyrben nominant, Belgæ & præsertim Phrysi, quorum plurimi vere & autumno huic morbo obnoxii sunt, populari ac gentilitia voce *Schoerbuyck*, inculti scriptores Scarificationem ventris vocant. Contrahitur autem ex foeda humorum colluie, quæ quum ex splene in ventriculum confluat, contagione quadam dentes ac gingivas inficit; cuius quoniam pars in pedes decumbit, confestim contrahuntur suræ, labant genua, compages dissoluuntur, color circum femora ad imum usque calcaneum varius ac versicolore specie spectantibus horrorem incutit. De cuius morbi natura, ac curan-

Guilielmi Lemnij de Stomacace liber, vulgo Schoerbuyck, cui grando porcorum affinis. Simile a cloacis domesticis.

di ratione, quoniam luculentum librum conscripsit Guilielmus noster Lemnius, qui eruditionis ornamenta, acrei medicæ decus atque insignia, summa laude in Academia Pisana consequutus est, super calcaneum videtur plura de hoc morbo congerere. Cæterum omnia hæc splenis incommoda, perferri possent, ac tolerari mitius, modo infima membra, partesque abiectæ atque ignobiles his tantum malis essent expositæ (quamquam illæ non minus necessariae sunt, quam forices in ædibus ac cloacæ proluendis sordibus destinatae) verum cum principes partes ac mentis organa pari malo inuolui, variisque affectionibus lacerari contingat, res maiorem diligentiam exigit, atque acrius in profligandis huiusmodi hostibus insistendum. Siquidem vapores terri tamquam ex palude ac camerina quadam sursum delati,

delati, cerebrum insuavi tristique halitu afficiunt, ac spiritus animales aliena qualitate imbuunt; hinc mentis inquietudo & alienatio; cogitationes absurda; somnia turbulenta; capitis vertigo; aurium tintus; oculorum caligines; luctuosa suspiria; cordis tremor ac palpitatio; quibus accedit animus mœrēs & deiectus, anxius, pavidus, meticulosus, adeo ut in hunc modum constituti, omnibus diffidant, amicos hostesque iuxta metuant, omni momento circumspectent; ac si quid increpuit, aut si qua leuissimus strepitus exortus est, expauescant, ac metu penitus concutiantur: etiam si nulla subsit formidinis causa, nec quisquam tam afflictæ menti ullam tremendi occasionem præbuit, a quibus si scisciteris, ac sis percontatus, quæ se macerent, curaque inani ac mœrore ad tabem usque se conficiant; aut nihil aut grauate respondent sic, ut eius rei causa ex hominum contubernio se subducant, ac societatem amicorum perosi, in loca deuia, deserta, opaca, demigrent, ut Thimon ille *μακάρονος*, hoc est, osor hominum, appellatus, ac Bellerophon, qui ut Homerus refert, animi ægrotudines, ac mentis dolores captata solitudine excutere tentabat;

*Nam miser in syluis mœrens errabat opacis,
Per campos solus latos, perq; auia rura,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.*

Contingit autem multifariam in hunc habitum homines deuolui, qui ab eo prius erant alieni. Alii enim ex hæmorrhoidum, mensiumque suppresso profluuiio, aut subsistente cohibitaque consueta aliqua emanatione huc delapsi sunt. Nonnulli ex longo diutinoque mœrore ac mœstitia, vel ex parentum obitu, vel rerum fortuitarum iactura ac detrimento; aut deniq. ab alicuius rei potiundæ frustrata spe ac desiderio huc deuenerunt. Non desunt qui ex lucubratione intempestiua nocturnisque vigiliis,

Signa affectus cerebri.

Mentis inquietudo & tormenta.

Thimon osor hominum.

Iliad. 3.

Causæ melancholici affectus.

ac vita umbratili, solitudine, inedia, penuria, angustia, vel etiam ab alimentorum usu & consuetudine habitum melancholicum contraxerunt, atque ad frigidam siccamque intemperiem sunt delati. Plerique conscientia scelerum ac flagitiorum, quæ ab iis patrata sunt, recordatione, aut vitæ per nefarias libidines atque effrenatas cupiditates transactæ memoria in melancholicos affectus demersi sunt, qui nonnumquam eo illos adigunt, ut cæcitate, animi furore, amentia, mentisque errore agitati vitæ tædium concipiant, multaq. dira atq. acerba patiantur.

*Anxieta-
dis animi
vertura.*

Sartyr. 13. Siquidem ut apposite Iuuenalis;

Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,

Nocte breuem si forte indulset cura soporem,

Et toto versata thoro iam membra quiescunt;

Continuo templum, & violati numinis aras

Conspicit in somno, ac mentem sudoribus urget:

Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,

Quum tonat, exanimes primo quoque tempore celi.

*Consciētia
scelerum.*

Vide, Lector optime, sceleratæ afflictæque mentis angores, cruciatus, carnificinas, pauores, tormenta, quæ Deus Opt. Max. fidei etiam ac pietatis desertoribus, quique a sacratissima Religione, ac Dei verbo desciscunt, obuentura denunciat, sic ut iuxta Pro-

Esaiæ 19.

*Neglectus
pietatis
pæna.*

*In caducū
parietem
inclinare.*

Cap. 36.

*Scipioni a
rundinea
inniti.*

4. Reg. 18.

phetam, illis immittat spiritum vertiginis, & errare faciat in omni opere sicut solet ebrius & vomens, sic ut ob mentis cæcitate ac Dei negligentiam, eiusque verbi contemptum nihil habeant ingruente calamitate, vel horrore mortis, quo se fulciant, aut securos præstare possint; sed sunt illorum conceptus, cogitationes, consilia perturbata ac confusa, si quidem innituntur ac se inclinant in parietem caducum, hoc est, in rem parum firmam, vel potius noxiã; atq. ut Esaias ait, *confidunt super baculum seu scipionem arundineum confractum.* Quo designat illos spem in eo figere, qui tantum abest ut prodesse possit, aut aliquid præsidii adferre, ut etiam

etiam noceat incumbenti, ac palmæ vulnus infligat, *Cap. 20.*
manusq; vt Ezechiel ait, *laceret.* Sunt præter hæc com-
 plura exempla, quibus Deus impios terret, ac deser-
 ta contemptaque religionis pœnam minitatur:
Quod si, inquit, vocem Dei tui audire recuses, percussiet te Deut. 28.
 furore, amentia, cecitate, dabit tibi Dominus Deus tuus cor
 pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœ-
 rere; eritq; vita tua quasi pendens ante; timebis die ac nocte,
 tuq; vita diffides ob cordis tui formidinem qua terreberis, &
 ob eas imagines ac spectra, quæ oculis tuis obuersabuntur.
 Rursus loco alio, quo etiam teterrimos animi mor- *Leuit. 26.*
 bos non defuturos indicat: *Visitabo vos velociter, inquit,*
Dominus, in frigore, egestate & ardore, fugietis nemine perse-
quente, ac terrebit vos sonitus folii volantis, occumbetis nullo
profligante, & tabescit anima in iniquitatibus vestris. Non
 mitiora imprecatur Hieremias iis, qui a Deo defi- *Hiere. 17.*
 ciunt, illiusque verbo obsistunt, ac cultores veritatis
 opprimere nituntur: *Non sis tu mihi formidini, inquit*
spes mea in die afflictionis: confundantur qui me persequuntur,
& non ego; pauceant illi & non ego; induc super illu diem affli-
ctionis, & duplici contritione contere illos. Quum autem *Duplex*
 quis angore mentis, & animi cruciatu, tum rerum *contritio*
 fortuitarum iactura affligitur, in corpore quoque *qua.*
 accepta nonnulla clade, geminato malo afficitur.
 Quum itaque hæc furix, ac perturbationes melan-
 cholicæ ex variis diuersisque causis emergant; in pri-
 mis expedit mali fontem tollere, ac radicitus erro-
 rem menti eximere: proximum est corpori præsta-
 re suam operam, ac nihil non moliri, omnem
 mouere lapidem, quo tanta ægritudine quæ corpo- *Melancho-*
 ri iuxta atque animo incumbit, aliqua ex parte alle- *lici subla-*
 uari possint ac nonnihil solatii percipere; sunt enim *uandi.*
 commiseratione digni, sic vt nemo nisi inhumanus
 censeret vellet, illis insultare debeat, sed deplorare po- *I. Cor. 10.*
 tius atque indolere, quod eo delapsi sint, atque a

*Pauli lo-
cus expli-
catus.*

*Nota frigi-
di & sicci
habitus.*

*Splenetici
decolorati.*

*Nota ani-
morum
melancho-
licorum.*

rationis mentisque iudicio inciderint. Scitum est il-
lud Pauli, quod his etiam accommodari potest: *Qui*
sibi videtur stare, obseruet ne cadat. Quo quemque com-
monefacit, in omni humana vitæ cursu atque actio-
nibus, ne rebus secundis nimium elatus plus satis illis
fidat, sibi que securitatem polliceatur: fieri enim
posse, vt ingruente externo aliquo impulsu concu-
tiatur, ac grauioribus, quam quos paulo ante irrise-
rit, corpus animique morbis succumbat, atq. obrua-
tur. Caterum vt cuiq. innotescat, quibus argumen-
tis atque indiciis frigidus & siccus habitus deprehen-
di possit, eius notas quæ in externa specie elucent,
quæque in intimo mentis recessu occlusæ, actionibus
dictis que se proferunt; tum quo effectu Melancho-
lia polleat, obiter indicabo. Quoniam autem huic
constitutioni Melancholica natura subest, eadem-
quoque signa huc referenda sunt. Si cui enim frigi-
di sicci que corporis habitudinem excutere libeat, in
Melancholicos defigat oculos, primo quoque intui-
tu omnia inter se consentire, atque ad eandem a-
mussim quadrare perspicies. Siquidem eiusmodi ho-
mines corpore apparent squallido, macilento, arido,
strigoso, cute glabra, vnguibus aduncis, qui ex sicci-
tate velut cornu & corium, incuruescunt, præsertim
vbi firmatus est habitus, atque adauctus qualitati-
bus, alius radices egerit; quales conspici solent in
extenuatis morbo ac seniculis. Et quoniam omnes
partes corporis flaccescunt, atque ali desinunt, cri-
nes rarefcunt ac sensim defluunt, facies colore palli-
do, giluo liuido deformatur. Omnibus enim Sple-
neticis color deflorescit, tumescunt pedes, ventri-
culus cruditate afficitur, atque ab influxu vitiosi hu-
moris, ructibus, acido que vomitu subinde infesta-
tur, quo erumpente vnice subleuantur. Quod vero
ad animorum notas spectat, difficiles sunt, queruli,
morosi, duri, intractabiles, præfracti, ad rem attenti
ac pe-

ac pecuniarum auidi; verum parci & tenaces, quique rebus partis abstinent, nec iis perfruuntur, aut ad v-
sus vitæ necessarios accommodant. Ex infessu quo-
que illos deprehendes: vtuntur siquidem tarditate
quadam, ingressuque lento ac composito, obstipo
demissoque capite, aspectu, vultui, facie, oculorum
obtutu toruo ac tetrico, tamquam e Trophonii an- *Trophonij*
tro, aut specu aliquo subterraneo (qualis est apud *specus.*
Hibernicos fabulosus Patricij hiatus) nuper reuersi, *Patricij*
adeo vt quum illos Saturni sidus vna cum melācho- *antrum.*
lia informet, taciturnitati ac silentio, tamquam vo-
to, sunt astricti, sic vt ægre ab illis illas voces aut ver-
ba extorqueas. Hæc itaque & pleraque alia in frigi-
dum siccumque habitum ac melancholiæ naturalis,
quæ a puritate non nihil deflexit, conditionem com-
itari solent. Cæterum quæ præter naturam cor-
pori inest, multo est deterior, ac magis perniciofa;
denominatur illa apposite Atra bilis, quæ triplici dif-
ferentia comprehenditur. Vna enim ex melancho- *Melancho-*
lico succo emergit, quæ aut putredine, aut extranei *lia non na-*
caloris incendio in cinerem transit, vt fomites ac *turalis tri-*
nutrimenta adustione atque ignis ardore deflagra- *plex.*
ta. Putrescens autem acidam atque acerbam quali- *Simile a*
tatem asiscit, aut acrimonia quadam imbutam. *rebus de-*
Quæ vero ex ardore progressa est, deurit atque acri *ustis.*
mordacique vi corpori infesta est; hoc a succo me-
lancholico differens, quod fex vsta a non vsta: nam
fex quæ nullam adustionem passa est, mitior est, quã
illa ex qua vel aqua vitæ seu vinum feruidum, aut a-
lius liquor elicitur. Secunda quæ omnium deterrima, *Atra bilis*
a flava vel lutea bili deusta conficitur, quo fit vt picis *quæ pprio.*
in morem nigra sit ac splendescat, vt gagates lapis,
bitumen, colophonia, & resinata quadam luteo ni-
groq. splendore perfusa, ob igneam partium in den-
sa compactaq. materia consistentiam: nigra itaq. ipsa
colore conspicitur, vbi non ignescit aut accenditur,

*Atra bili
quis color,
ubi igne-
scit.*

*Signa atra
bili obno-
xij.*

*Lingua
hesitans.*

*Melan-
cholia fer-
ro assimi-
li.*

vt sunt ebuli, sambuci, ligustra, Præonia bacca, aut co-
rafi nigraque vix acini, quorum succus atro vel san-
guineo colore manus inticit. Quod si inflammari il-
lam contingat, atque ardorem concipere, colorem
exhibet coraseum, atque igniti fulgentisq. auri pur-
pureo nitore diluti, assimilem. Hinc vbi ignescit im-
moderatus, animi furor & concitatio, mania, insa-
nia, rabies; e contra vbi omnia intra mediocritatem
consistunt, acumen ingenii, præstantia doctrina, in-
ventionis subtilitas, lingua deserta, ac loquendi pe-
ritia abunde instructa. Postrema atræ bilis species,
pituitæ combustionem concipitur. Quoniam itaque
varia atræ bilis discrimina, ac Melancholici diuersa
sunt conditione, natura, moribus, animi propensio-
ne, forma corporis ac coloris specie, suis quiq. indi-
ciis obseruari debent. Siquidem qui ex adulta bila
aut affato sanguine in hunc habitum deuenierunt,
amplis sunt tumidisq. venis: nam flatu turgescunt,
colore corporis fusco, atque abunde hirsuto, capillo
denso ac numeroso ob caloris copiam, labris prætu-
midis propter humoris ac spiritus flatuosi in subli-
mes partes concursum; quo fit vt & oculi illis non-
numquam promineant, rursus subsidentibus humo-
ribus aliquando recondantur, nunc volubiles & per-
nicitantes, nunc quieti atque inconniuerter immo-
biles; lingua vero quæ mentis arcana detegit, atq. in
apertum profert, modo prompta & expedita, modo
hesitantior atque in proferendis vocibus tarda, ble-
sa, titubans, balba, impedita: quod pro anni, ætatis,
regionis, auræ caliginosæ vel serenæ, denique cibi ac
potus ratione, intemperie quadam affici contingat
frigidoque aliquo humore imbui. Est autem hu-
mor hic multiplex, varius, multiformis, qui miris
modis hominum corpora mentesque informat, ac
diuersos habitus, mores, conditiones constituit. Ha-
bet enim ferro aut carbonibus, seu fossiles, seu fa-
ctitiis

Stitii sunt, quiddam assimile, quæ ignita candent, ac
 fulgore auri collucent, membraque deurunt, extin-
 cta vero nigredine, obscurantur, ac colorem vel a-
 trum vel rubiginosum oculis exhibent. ita bilis atra
 tametsi frigida statum solet & sicca; deniq. ad nigre-
 dinem vergente colore, aliquid tamen illi calidita-
 tis subest ab eius facultate & natura a quo profluxit,
 nempe bili flava & sanguine. Sic enim amurca o-
 lei, fax & acetum viui, cineres ac carbones, titionum
 fumigantium ac prunarum naturam referunt:
 quocirca non est prorsus caloris expers bilis atra, sed
 vel aliquid eius qualitatis in se continet, vel capax
 est: licet enim longo vix tempore ignescat, vt fer-
 rum, quod vrentissimis ac bituminosis carbonibus
 iisque follibus instigatis opus habet, quo subigi mal-
 leis, fingiq. incude possit, ardore tamen imbutum
 ita ignescit, vt nihil sit in corpore quod magis deu-
 rat: hinc tanta nullo propemodum temporis inter-
 uallo, risus ac lætitiæ in repentinam subitamq. mœ-
 stitiam atque angorem vicissitudo & commutatio.
 Vbi enim is humor incalescit ac calorem concipit,
 quoniam spiritus lucidi ab eo promanant, ad prodi-
 gium vsque exhilarescunt melancholici; atque ad
 cantilenas, saltationes, tripudia sunt propensi, ac præ-
 ter solitum affabiles, liberales, benefici, ac nulli non
 expositi; adeo, vt etiam in oscula atque amplexus
 puellares proruant, nec quid aliud, quam connubia
 meditetur, totiq. in posteritatis ac liberorum suauis-
 simam spem sunt erecti; sic vt serio deplorent se tale
 quiddam iam pridem non fuisse aggressos. Vbi vero
 æstus deserbuit ac resedit ille animi imperus fri-
 gescente sanguine & sopitis spiritibus omnium
 pertæsum est. Damnant ac desertantur hesternæ
 actiones, pudetque erroris ac stultitiæ. Si quando
 itaque atra bilis frigescit, animum homini mentem-
 que eripit, atque omnem confidentiam & quidquid

*Atra bilis
 caliditatis
 participi.*

*Exemplum
 ab aliquo
 liquoribus*

*Simile ab
 ignito fer-
 ro quod
 malleus
 subigitur.*

*Melancholici
 varij
 & incon-
 stantes.*

*Atra bilis
 affectus
 ubi frige-
 scit.*

- est virilis roboris, adimit; adeo ut non facile ad præclaras atq. excelsas res emergant aut enitantur. sunt enim stupidi, segnes, tardi, ignavi, ad disciplinas ac consecutandas artes inepti, minusq. appositi, quod in ea melancholiæ specie euenit, cui frigida lentaque pituita affluentius commiscetur; quo fit hoc genus hominum, ut asini aliæque brutæ pecudes, iners sit, indocile, segne, obliuiosum. Illi vero quibus moderato calore atrabilis perfunditur, ac sanguine irrigatur, aliisque humoribus syncerus diluitur, ingenio pollent, ac mentis acumine, multaque instinctu atque afflatu diuino perficere videntur. Quocirca non in scite Aristoteles humorem hunc vino pronunciat assimilem. Ut enim vinum mores producit varios ac ridiculos pro cuiusque natura, ac liquoris huius quum effectu tum viribus (aliam enim vim fortitur ab Hispania, aliam a Gallia, Creta, Corsica, ac Rheno aduectum) sic melancholia diuersos mores parit variosque habitus constituit. Vnde apud Belgas enumerantur aliquot temulentorum conditiones ac studia. Alii enim vino madidi contentiosi sunt ac rixantur. Alii taciturni atque elingues; plerique loquaces ac tumultuosi; nonnulli in lacrymas sunt atque eiulatus effusi, animoque mœrenti ac deiecto. Conspici quoque solent in hac hominum colluie minaces, sæui, acerbis, feroces, amarulenti, arrogantes, philauti, ventosi, elati, lasciuui, petulci, gesticulosi, inquieti, instabiles, in libidinem atq. amores propensi, verum, ut Iuuenalis ait;
- Satyr. 10.* *Qui Venerem affectant sine viribus inguine lento.*
- Melan-* Sunt enim ebrui ac melancholici salaces quidem, ac tentigine pruriunt, quod Genitales partes turgescant, ac flatibus distendantur; sed quibus confestim omnia languescant, omnisque vis concidat atque emoriatur; sic ut mulieres nonnumquam a spe concubitus decedant, ac prolis desiderio frustrentur, quod
- Melan-*
cholia as-
nina.
- Atrabilis*
vix ubi ex-
erescit.
- Problem.*
sect. 30.
quæst. 13.
- Ebriorum*
varia con-
ditiones.
- Satyr. 10.*
Melan-
cholici sa-
laces.

quod flatu potius quam semine turgescant. Melan-
 choliæ itaque & ebrietatis par est conditio. Temu-
 lenti enim variis affectibus ducuntur, ac gestus plane
 scenicos comicosque exprimunt. Siquidem ut appo-
 site Horatius;

*Ebrj in
 Venerem
 segnes.*

*Quid non ebrietas designat? operta recludit,
 Spes iubet esse ratas, in praelia trudit inermes,
 Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
 Facundi calices quem non fecere disertum?
 Contracta quem non in paupertate solutum?*

*Lib. I.
 Epist. 5*

In Melancholicis autem non minus ridicula lice-
 bit obseruare: nam multi in quotidianis actionibus
 ineptos mores exprimunt, ac citra etiam vllam men-
 tis alienationem res leues, ludicras, inanes, nugato-
 rias proferunt. Sunt enim mente capti qui non se-
 rio desipiunt, sed suauiter delirant, ut quos ludit ama-
 bilis insania, adeo ut nonnulli deplorent se resipuisse,
 ac grauius cum amicis exostulent, quod damnã
 ipsis illatum sit, non impensum humanitatis officii-
 um. Ut apud Horatium Arguius quidam non igno-
 bilis,

*Qui se credebat mire: audire tragedos
 In vacuo letus sessor, plausorq; teatro,
 Hic ubi cognatorum opibus curiq; resectus
 Expulit helleboro morbum bilemq; meraco,
 Et redit ad sese: Pol me occidisti amici,
 Non seruastis, ait: cui sic extorta voluptas
 Et demptus per vim mentis grauisimus error.*

*Lib. 2.
 Epist. 1.*

Sic me exercente rem medicam, complures obla-
 ti sunt, quorum menti absurdæ imagines ac simula-
 chra obuersarentur. Cuidam enim persuasum erat,
 nasum sibi excreuisse in immentum, atque in pro-
 digiosam longitudinem exporrectum: sic, ut ele-
 phantis proboscidem circumferre visus sit, qui nus-
 quam non esset impedimento, adeo ut subinde pati-
 nis, ut illi creditum est, innataret: accitus medicus,

*Historie
 aliquot me
 lancholi-
 corum.*

atque affectum melancholicum subesse suspicatus, dexteritate quadam ac latenti habilitate longum farcimen naribus admouit, arreptaque nouacula seu cultro tonforio, apprehensa nonnulla carnis parte imaginarium nasum auulsit, confestim exhibita homini parum sobriae mentis soporifera portione, praescriptaque salubri diata, omnis mali metus ademptus est. Alius quidam hypochondriacus, hoc est, cui praecordia humore melancholico ac flatibus turgida essent, persuasum erat ranas ac rubetas, quas bufones vocant, intestina perterebrare, nec vlla ratione ea opinio illi eximi potuit: Medicus quo illum magis haberet obsequentem (nam melancholici aegre ab opinione dimouentur) tale quiddam corpori inharere pronunciauit; itaque exhibita purgante portione, ac subdito clystere procuratum est, ut aliquot eius generis reptilia in subiectam peluim conicerentur; ubi autem pharmacum vires suas explicuit, aluus affatim exinanitus est, conspectisque excrementis, & quae illis innatabant animalculis, vana illa opinio animo excussa est. Alter quidem opinatus est ex vitro sibi conflatos clunes, sic ut omnia sua negotia atque actiones stando perficeret, metuens ne si in sedile se inclinaret, nates confringeret, ac vitri fragmenta hinc inde dissilirent. Huiusmodi delirii ac desipientiae species, quae vel aliis, vel sibi ipsis risum excutiunt, securiores sunt, ut Hippocrates ait, minusque feroces: illae vero quae studio quodam ac sollicita meditatione perficiuntur, deteriores; ut quas comitari solet furiosa quaedam temeritas. qua cum sibi, tum aliis inexpectata damna inferunt, at repentinio insidiantur. Si nostra memoria vir quidam illustri in eum mentis errorem incidit, ut mortem animo conceperit, ac se iam e viuis excessisse haberet persuasum, adeo ut quum illum amici ac familiares ad instaurandas vires iam collapsas, precibus

blan-

Lib. 3.

cap. 53.

*Memoria
lib. 3. hysto-
ria melan-
cholicis cu-
riso dam.*

blandimentis, obiurgatione hortarentur atque vrgerent, omnia respueret, quod causaretur mortuum esse se, ac nihil ita constituto opus esse alimento. Quum autem fame enecandus videretur, instante scilicet septimo die, qui famelicis atq. inedia confectis lethalis esse solet comminisci cœperunt, atque excogitare rationem aliquam, qua posset hic mentis error eximi, aut mederi: itaque inducti sunt in conclaue, arte atque industria obscuratum personati quidam histriones linteo obuelati, ac fasciis obuincti, quibus mortui sepulchris inferri solent, instructaque mensa ferculorum apparatu, liberalius, largiusque se cibo ac potu reficiunt, æger autem hac conspicatus, sciscitatur quid moliantur, & quod sint genus hominum? responsum est, mortuos esse se: tum is, mortuine edunt? illi, maxime. si libeat accumbere, id non vanum experietur, confestim mente captus exiliit, lectoque se subduxit, atque vna cum mortuis commentitiis cibo fruitur affluentius; peracta autem cœna somnus illi obrepit in eum vsu confecto liquamine. Siquidem qui sensu, mentisq. iudicio, ac ratione sunt orbati, arte tractandi sunt, nec vlla re efficacius, quam somno domandi. Sic a Sibylla Virgiliana domitus legitur,

*Cerberus ille fame rabida tria guttura pandens,
Melle soporata, & medicatis frugibus ossa.*

Cæterum qua ratione affectus melancholici expugnari possint, aut saltem mitigari, obiter indicandum. Principio vnde morbus initium sumpserit, atque qua parte consistat, excutiendum est. Quum enim tres sint melancholix differentix, vna in qua cerebrum primario affectu hoc humore perfunditur, altera quæ toti corpori subest, tertia Hypochondriaca seu flatuosa, quæ ex cruditate ac vitiosis humoribus contracta cerebrum per consensum afficit, diuersas curandi rationes exposcunt. Si quando itaque

*Inedia 7.
die moriuntur.*

Somnus deliria sedat.

Æneid. 6.

Melancholia quomodo expugnanda.

Melancholia tres species.

Melancholicis quando secunda vena. vniuersum corpus succo melancholico oppletum est, a venæ sectione auspicari cōuenit curandi rationem; in cæteris hoc remedium inefficax censetur atque irritum, nisi sanguinis redundantia tale quiddam exigat: sic etiam in præcordiorum tortura, ac lienis tumore, aut vbi quartana infesta est, spleneticam seu sinistri brachii internam ferire consultum est. Porro quum huiusmodi hominibus aluus magna ex parte astricta est, leniter ac placide subducenda, aloë, epithymo, filicula. Siquidem vbi intestina lubrica esse contingit, atque excrementa prolui, minus vaporum ac fuliginis sursum rapitur aut effumat: quocirca lienosos ac melancholicos alui profluuio corripere salutare pro nunciat Hippocrates: denique hæmorrhoides, varices, condylomata, mariscas infernis partibus innasci atque extumescere maniacis, desipientibus salubre. Et quanquam mali Genii humoribus se immiscet, ac faces ministrant, omniaque efficiunt sæuiora, potissima tamen causa ac fons mali in humorum ferociam referendus: expurgatis enim noxiis humoribus, discussaque fuligine, furor mitescit ac mens pristinum vigorem concipit. Quocirca molienda in primis vniuersalis corporis euacuatio ea parte qua maxime natura vergit, idque sensim ac per interualla: neque enim consultum est, validis pharmacis huiusmodi crabrones irritare; postea instituenda optima victus ratio, eaq. euitanda que crassum sanguinem pariunt: vt sunt bubulæ ac taurinæ carnes, succidia, quæq. diutius sale aut fumo indurata sunt, quibus accedunt aprugna atq. vrsina, tum quæ nobilium conuiujs inferri solet ceruina, ac Geniales passim mensas exornat leporum caro. Sic vt mirari subeat nihil ea magis a Belgis expeti ac commendari, nec vllum conuiuium satis splendidum, aut magnifice instructum quod leporino ferculo non sit exornatum; quum nulla caro sit melancholix magis affinis &

Lubrica aluus melancholicis utilis.

lib. 6. Aphorif. 48.

Genii humoribus se immiscet

Melancholicis placide aluus deiciendus.

Cibi melancholici.

nis & cognata. Nam frigida est & sicca, nisi animal cursu ac venatione sit defatigatum, sic enim non nihil caloris concipit, magisq. sapida est salubris. Quidquid autem ab hoc animante proficiscitur, exiccante vi pollet atq. astringentis facultatis est particeps, pili, tegmen detractum, sanguis, coagulum, caro. Sic coagulum leporis, eiusq. sanguis ex rubro epotus dyenterias & mulierum menses sistit; pili exusti, vel minutatim incisi sanguinem in vulnere effuse permanantem efficaciter constringunt ac cohibent. Cerebrum superuacuum oris humorem absorbit, & dentes elicit; coxæ eiusq. ossiculi appendix calculum comminuit. Caro quoq. leporina, si frequens eius sit usus, pituitæ defluxum e capite compescit, atq. epilepsiam, quæ ex crassa ac glutinosa pituita contrahitur, expugnat: quorum quodq. siccum esse id animal, ac melancholicum cõuincit, vt tota eius conditio comonstrat, ac præsertim caro ad nigredinem inclinata. Quod autem quum veteres, tum recentiores persuasum habeant, ex leporis esu exhilarescere homines atq. aliquid venustatis, formæq. elegantioris concipere; non ex meticulosi & pauidi animantis gustu id euenire ominor, sed quod festiui aliquot confodales conuocare soleant in cœtum & accumbationem epularem puellas quasdam amabiles ac generosas: itaq. illæ quæ despectæ habitæ sunt ac deformes, nec vnquam in huiusmodi confessum acciri contingit, inelegantes censerentur solent, nec vnquam degustasse leporem: quod Martialis non inuenusto epigrammate improbrat amasiæ;

Si quando leporem mittis mihi Gellia, dicis

Formosus septem Marce diebus eris.

Si non derides, si verum lux mea narras;

Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Quam opinionem hinc enatam, conceptamque conuicio (nam a nullo hæcenus explicata est) quod

M. 3.

*Lepus me
lanchols-
cus natura
& alimen-
to.*

*Lepus cur-
su fatigan-
dus.*

*Lepus in
re medica
multi usus
est.*

*Leporis e-
sus an ve-
nustus red-
dat.*

Lib. 12.

Leporem gustare, proverbii explicatū. Moderata conuiuia colorem & spiritus excitant. qui Geniali alicui conuiuio interfuit, vt assolet vbi lepus decerpitur, septem continuatis diebus blandus appareat, venustus, hilaris, festiuus, siquidē vbi inter epulas omnia hilariter transacta sunt, elucent etiam post elapsos aliquot dies in fronte, superciliis, vultu, labiis, oculis, nutibus (omnia enim sunt animi indices) magna alacritatis indicia, multaq. se proferunt, erectioris mentis argumenta; nam risu, cachinnis, osculis hinc inde exhibitis, tripudiis, vino, cantilenis, corpus concalefactum efflorescit, ac fit caloratius, sanguine in externum habitum vndiq. diffuso. hæc itaq. efficiunt, vt leporis esus animi nebulas discutiat vultumq. serenum præstat ac faciem nitido rubore perfusam. Vt enim qui irritantur, aut metu concutiuntur, perturbato animo conspici solent, multasque notas vel deiectæ vel commotæ mentis in externo habitu exhibere; ita quibus omnia læta sunt, prospera, salutaria, nec vllus vitiosus affectus, aut perturbatio in corde resideat, certa se indicia in corpore proferunt, ipseque vultus, calor, facies, frons, oculi, oris decor ac species securitatem quandam animi pollicentur, mentemque placidam & quietam. Ceterum quod ad victus rationem attinet, qui frigido ac sicco habitu existunt, tum melancholici laudabilis succi cibus ac vino generoso assuescant, cubent mollius ac somnus sit prolixior; omniaque falsa atque acida ac præ ceteris cruditatē deuitent; exercitationi moderatæ insistant. Vt enim paludes atque immota quæque putent, ita quoque corpus in exercitatum pedorem ac graues halitus contrahit. Quod si motus violentus illis sit laboriosus, vocis modulatione ac cantilenis, musicisque instrumentis se exercere poterunt & ambulatione. Omnes autem affectus animi, mœrorem, anxietatem, tristitiam, odium, iram, indignationem, inuidentiam excutiant, nec quidquam tale in mente pantantur residere; solitudinem præterea fugiant, incediam,

Animi affectus in vultu elucent.

Melancholicorum diæta.

Simila a stagnanti aqua.

Liquida caro alunt.

diam, vigiliam, lassitudinem; vires vero instaurare
 pergant, alimentis primum liquidis (siquidem ea ce-
 lerrime nueriunt, ac minimum negotii ventriculo
 faceffunt) mox adauctis viribus solidum cibum sibi
 reddant familiarem Panis ex lectissimo tritico con-
 ficiatur, eoq. vtantur parcus: ægre enim concoqui-
 tur, & stomacho diu inhæret; quocirca baiulis, vecto-
 ribus, nautis, aurigis robur conciliat, ac carnem dura-
 bilem, minimeq. fluxam efficit: olidas enim fauces
 habent ac graueolentes; qui sani parcus panis esu
 vtuntur, quibus dupla panis pars, hoc est, bessis, obso-
 nii autem triens præscribi debet. Quod ad prandii ac
 cœnæ rationem attinet, nisi consuetudo ac mos pa-
 tris obstet, nec caput sit distillationibus obnoxium,
 cœna sit prandio liberalior, sic vt semper euitetur
 immodica satietas. Obiter vt rem salubri consilio
 perficiam, omnia quæ valetudini officiant, ac præma-
 turam senectam accelerant, longius abigantur, adhi-
 bita cum primis animi tranquillitate, mentisq. con-
 stantia, quam diuinitus summis votis ac precibus ab
 eo exposcere par est, qui affatim ac cumulate sua do-
 na, suamq. munificentiam in nos effundit, hoc est, a
 patre cœlesti ac Seruatore Christo illi cœno. Nam
 præter externa bona, præter res momentaneas ac ca-
 ducas, quarum vsu ac commoditate illius munere ab
 unde fruimur, mentes etiam nostras suo spiritu im-
 buit, atq. ad salutaria quæq. singulis momentis cogi-
 tationes ac voluntates nostras impellit, vrget, exti-
 mulat, sic vt eius vim atq. afflatum in animis nostris
 efficacem experiamur, ac fide stabiles, qua Dei pro-
 missis innitimur, certam spem ac fiduciam con-
 cipiamus participes fore nos sempiternæ
 beatitudinis, lucisq. æter-
 næ consortes.

*Panis esus
 valetudi-
 nariis par-
 ce exhiben-
 dus.*

*Vnde gra-
 uis halitus*

*Salubris
 hortatio.*

*Tranquil-
 litas an mi-
 omnia con-
 dit.*

Ephes. e.

Gal. 4.

1. Pet. 2.

FINIS.

RERVM ET SENTENTIARVM

H V I V S O P E R I S I N D E X

locupletissimus.

A

A bsinthium hepatis confert 125	Anima & corpus mutuam operam exposcunt. ib. Animalis spiritus functio 16, Animus cultus 4, Animus ne curis distrahatur 91, non despondendus 162, Animorum varietates unde 16. Anima vis 16
Actiones quotidiana suo quoque tempore atque ordine procedant 91	Animantia tactu frigida 73, Animi conditio in humido corpore 94, quae esui salubriora 133
Adolescentia 34	Anxietatis animi tortura 172
Ad summa enitendum 39	Appetitus caninus 348
Aenobarbi 47	Apologus de membrorum dissidio 14
Aer vitiosus cibo nocentior 54	Apoplectis ut loquela restituitur 155
Aeris vis ibid.	Aquilonares unde feroces 15
Aetas quid 37, aetas iuuenilis sanguinea 118	Ardelio qui 157
Affectus vitiosi homini noxij 70, affectuum origo 11, affectus quando mitiores 12, quas noxas inferant 70, colorem immutant 109, Affectibus oēs expositi 70	Aristomenis astutia 51
Agallochi aut ligni aloes vis 153	Arundo, Riet 48
Alites concoctu difficiles 77	Asiani molles 15
Aluum quae solvant 84, leniunt 125	Astra minus efficacia humoribus 121
Anacardina confectio memoria utilis 153	Aura pestilens. 54.
Anglia laus 55, Angli doctis et senibus afficiuntur. ibid. cur meraco vino utantur 124, cur sudorifero morbo obnoxij 123, cur florido colore 156	B
Anglorum vitae conditio 55	Balbi submisso loqui nesciunt 133
Anguilla mortua cur non fluites 133	Balneum artificiale 88, naturale 88
Anima hominis pars potior 2	Barba & capilli unde 45, Barba rutilus non semper improbe designat 156, ad Barbam producendam remedium 149
	Betacō

I N D E X.

- | | |
|---|---|
| <i>Batani</i> cuius sunt conditionis 19 | <i>concipit</i> 125, non fatigandum |
| <i>Bilis</i> per quas partes expurgatur | <i>lotione</i> 151, <i>Caput & vetricu-</i> |
| 154, <i>malignitas</i> 161, <i>natura-</i> | <i>lus & pituitosi humoris conce-</i> |
| <i>lus & prater naturā</i> 153, <i>qua-</i> | <i>ptacula</i> 131, <i>capitis prapostera</i> |
| <i>liter purganda</i> 559, <i>arugino-</i> | <i>rasura</i> 148 |
| <i>sa</i> 160, <i>flavae munus</i> 154, | <i>Cardiacus affectus</i> 123 |
| <i>pallida, vulga citrina</i> 188, | <i>Catarrhus, quos morbos pariat</i> 132 |
| <i>prafina, & porracea</i> 161, <i>vi-</i> | <i>Catilina vultus</i> 168 |
| <i>tedina</i> 160 | <i>Catullire</i> 118 |
| <i>'Biliosis terrifica somnia. ibid.</i> | <i>Causae conseruatrices</i> 54 |
| <i>Brabanti, cuius sint cōditionis</i> 20 | <i>Cepe oculis & memoria noxiū</i> 150 |
| <i>Britanni, cuius sint cōditionis</i> 21, | <i>Cerebella que memoria p̄sint. ib.</i> |
| <i>in morbis flaccidi</i> 123, <i>Britāni</i> | <i>Cerebrum aridū quid efficiat</i> 82, |
| <i>& Scoti acres habent iras</i> 21. | <i>Cerebri temperies memoriae</i> |
| C | <i>praesidium</i> 145, <i>cerebri affectus</i> |
| <i>Caduca omnia</i> 35 | <i>signa</i> 171, <i>cerebrum siccum nō</i> |
| <i>Cain diffidentia exemplum</i> 168 | <i>concipit imagines</i> 144, <i>humidi-</i> |
| <i>Calidus habitus</i> 44 | <i>dum non retinet imagines. ib.</i> |
| <i>Calor</i> 10, <i>colorem excitat</i> 76, | <i>Cholera vis</i> 105, <i>Cholericus den-</i> |
| <i>humorem ut sol glaciem dis-</i> | <i>rati</i> 119 |
| <i>solvit</i> 142, <i>Calore vita sub-</i> | <i>Christus a vitiosis affectibus alio-</i> |
| <i>sistit</i> 72, <i>Calor humorem obse-</i> | <i>nus</i> 44, <i>exemplar perfectio-</i> |
| <i>quacem habet</i> 93, <i>Calor inna-</i> | <i>nis</i> 43, <i>quid homini cōtulit</i> 17 |
| <i>tus quid</i> 10, <i>audaciam parit</i> | <i>Cibi & potus facultas</i> 56 |
| <i>50. Calor humanus</i> 93 | <i>Cibus & aer aque necessarius</i> 30, |
| <i>Caluitiū ex humorū penuria</i> 82 | <i>Cibus vitiosus naturā depræ-</i> |
| <i>Canina appetentiæ</i> 76 | <i>uat</i> 32 |
| <i>Canicula vi</i> 55 | <i>Clysteris usus</i> 142 |
| <i>Canicies unde</i> 133, <i>de Canitie</i> | <i>Cochleæ vitam viuere</i> 74 |
| <i>subita memorabile exem-</i> | <i>Color bonus vel malus unde</i> 76 |
| <i>plum</i> 111 | <i>Color humores indicat</i> 109, <i>colo-</i> |
| <i>Capilli crispī unde</i> 32 | <i>ris pilorum causa & differen-</i> |
| <i>Capillorum copia unde</i> 45 | <i>tia</i> 47, <i>color quis frigidus</i> 76 |
| <i>Canis panem somnians, prouer-</i> | <i>Concentus & harmonia in corpo-</i> |
| <i>bium</i> 135 | <i>re</i> 103 |
| <i>Caput ab inferioris membri noxiā</i> | <i>Concoctionis ac digestionis munus</i> |

IN LEV. LEM. DE COMPLEX.

Condimenta calida	78	Demonnes quatenus noceant	27,
Connubij commoditas	7	Damoni quomodo cogitationes	
Conscientia scelerum	172	pateant	26
Consuetudo mala sensim mutan-		Delator	61
da	58	Democriti & Heracliti natura	42
Consultor salutaris 119, impro-		Desidia noxia	60
bis	ibid.	Diacydonium, vulgo carnes coto-	
Continentia voluptatū diuinitus		niorum	152
contingit	128	Draconitis hortensis, vulgo dra-	
Contraria cōtrario expugnari	57	gon	58.
Contritio duplex quæ	173		
Conuiuia moderata non impro-		E	
banda	90	Educatio cur naturā immutat	19
Cordati qui	167	Elementa quatuor	30, 104
Cordis principatus	ibid.	Empiricorum error	123
Cordis & cerebri cōsensus	168	Eptala febris	141
Cor fons sanguinis 109. vitæ fons 10		Equi generosi naribus sonitum	
Corporis ac reipublicæ compara-		excutiunt	62
tio 13, corp. Reip. mala a capi-		Erici Sueciæ regis laus	19
te 131, corporis cura non negli-		Excordes qui	168
genda 89, corporis frigidi me-		Exercitij commoda	59
dela 70, Corpus mutationi ob-		Exercendi modus.	60, 65.
noxium 110, corpus & ani-		F	
mus mutuo affici 9, in tribus		Factiosus obsistendum	13
consistit 8, corporum varietas		Febris diaria 122, eptala 141,	
unde 47, corporis temperati		tertiana unde 185, æstuosa 159	
notæ 40, corp. frigidi & hu-		Felire fons	168
mididi notæ 133, calidi & sicci		Fiber, beuer	73
status 155, frigidi & sicci 174,		Fidelia una duos dealbare parie-	
corp. pars nulla inutilis	14	tes	101
Coriandrum incrustatum	152	Fides operibus stipata	28
Cruditæ pituitam parit	144	Flandri, cuius sint conditionis	20
Cruditæ noxia.	11.	Flauæ bilis munus	154
		Frictionis usus 87, Frictionum	
D		differentia sex	ibid.
Davidis robur	51	Frigidis corporibus non deest ca-	
Dæmon unde sic dicatur	26,	lor 72, Frigidis cibi apri	72,
		Frigus	

I N D E X.

<i>Frigus</i> vita pernicies. <i>ibid.</i>	<i>tis</i> casibus expositus 162, <i>lupus</i> ,
<i>Frigida</i> quomodo subsistat 74,	116, <i>leo. ibid. simis similis</i> 117
<i>frigidi habitus</i> signa 75. <i>frigida</i>	<i>vulpinis moribus. ibid. in Ho-</i>
<i>appetitum</i> excitant 77, <i>uniū-</i>	<i>mine caliditatis gradus</i> 45,
<i>tur calore</i> 72, <i>frigidi minus a-</i>	<i>Homini primordia</i> 30
<i>giles</i> 77. <i>frigus calorem depo-</i>	<i>Humidus habitus</i> quando noxius
<i>pulatur.</i> 76.	98, <i>Humidi ad iracundiam</i>
G	<i>minus proclives</i> 94, <i>Humidis</i>
<i>Galli ingenio</i> versatili 22, <i>cuius</i>	<i>parce dormiendum</i> 97, <i>Humi-</i>
<i>sint conditionis.</i> <i>ib.</i>	<i>di corpore non malitiosi</i> 94,
<i>Gallus</i> , ut continenter & indefes-	<i>corporis signum ibid. status</i>
<i>se cantillet</i> 153	<i>conditio</i> 92
<i>Genij quid sint</i> 25, <i>mali seu le-</i>	<i>Humidis qua forma ac figura</i> 95
<i>mures ibid. boni.</i> <i>ib.</i>	<i>Humor</i> 10, <i>caloris fomes</i> 99
<i>Germani</i> 19	<i>Humorib color & sapor inest</i>
<i>Guilielmi Lemnij de Stomacace</i>	105, <i>Humores ad vitia occa-</i>
<i>liber vulgo schoerbuyck, cui</i>	<i>sionem præbent</i> 27, <i>Humorū</i>
<i>grando porcorum affinis</i> 170.	<i>mutatio 4. eorum mixtura</i>
H	<i>musto comparatur</i> 129, <i>Hu-</i>
<i>Habitus corporis</i> mutationibus	<i>mores qualitatum quatuor par-</i>
<i>obnoxius</i> 83, <i>Habitus humi-</i>	<i>ticipes</i> 104, <i>Humorum fuligo,</i>
<i>idus, vide Humidus</i>	<i>menti infesta est, ut vini vapor</i>
<i>Habitus periculosus</i> 99, <i>Habi-</i>	102, <i>Humores aliquo modo e-</i>
<i>tus sicci nota</i> 81	<i>lementa hominis</i> 103, <i>alimen-</i>
<i>Hepar libidinis causa & renes</i>	<i>tis augefcunt, vel diminuun-</i>
168, <i>sanguinis officina</i> 108	<i>tur</i> 102.
<i>Henrici II. Gallia Regis mors.</i>	I
<i>anno 1550.</i> 61	<i>Ictericus inauratus</i> 154
<i>Herba qua mentem acuit</i> 147	<i>Iecoris oppilatio unde</i> 125
<i>Hispani cuius sint conditionis</i> 21,	<i>Iliaca passio</i> 46
<i>ingeniosi.</i> <i>ibid.</i>	<i>Imaginationis vis ibid. quanta</i>
<i>Hollandi cur somnolenti & obli-</i>	<i>vis</i> 112
<i>uiofi</i> 19	<i>Impuberes lac in mammillis ha-</i>
<i>Homines lubrici fidei</i> 157	<i>bent</i> 129
<i>Homo cholericus</i> 153, <i>Homo ho-</i>	<i>Incessus factitius</i> 42
<i>mini Daemonium</i> 26, <i>mul-</i>	<i>Infantia</i> 34

IN LEV. LEM. DE COMPLEX.

Ingenia proba improborum com- mercio depravari	51	perfici 143, pernicioſa 144
Intemperies quid	36	Memoria pernicies cruditas ex crapula 148, Memoria in cerebro conſiſtit 144, Memo- ria remedium ubi ex frigidi- tate & humiditate contractū eſt vitium 150, natura mu- nus arte iuuatur 145, Memo- ria rerum renouanda 147,
Intus vinum, fori oleum	78	Memoria raium caput cōfert, &c. 149, quæ conſerunt 150,
Ioannis Baptiſtæ exitium	13	Memoria quæ exigat a ſicci- tate orta 150, cœnam parcam exigit 148, deplorata ut in- ſtauranda 83, 153, Memoria barba raiſa adiuuat 149
Ira quid & unde 154, eius vis 70		Mens odoribus recreatur 153, cordi miniſtrat intelligentiam 162, Mentis turbata ſigna 167, ſtupor doloris ſenſum priuat 114, inquietæ tormenta 171
Iraſti habitus	ib.	Meretrix nec concubitu, nec mu- neribus ſatiatur 127
Itali cuius ſint conditionis 20, cur iniuriarum tenaces,	ibid.	Meriditari, capere ſomnum diur- num 69
Iuuentus unde effœta	34.	Mora quomodo edenda 85
L		Morbi ex plenitudine 122
Lactis uſus	84	Morbus quid 1, Regius unde dictus 155
Lac ex ſanguine	129	Mors naturalis qua ratione 79, immatura 3, quibus formi- dabilis 80, ut non ſit formida- bilis 35, contra naturam 79, quid ſit 32, 162, quib. placida 113, Mortis genera duo corpo- ri impendent 80, Mortis me-
Lactuca viſum obtundit	151	
Lares quid ſint	25	
Lipyria febres	142	
Liuidus color 76. vide Color.		
Longitudinis cauſa	31	
Loquelam quid reſtituat	153	
Lucubrationes nocturna noxia 88		
Lumbos quæ viſ incitet	96	
Luna viſ in inferiora	93	
Lupinorum natura	6	
Lupus morbus	161	
Lutra Otter	73	
Luxus quid efficiat	12.	
M		
Mattiaci ſeu Zelandi	20	
Melancholici quando effuſe hila- res 166, Melancholia quali- tas 105, ſubleuandi 173, nemo nō particeps 163, Melancholia duplex. ibid. cui humori ſi- milis. ibid.		
Membrorum decor & uſus	13	
Memoria ſtabilis unde 82, omnia		

I N D E X.

<i>in ipsa morte acerbior</i>	113,	<i>cutiant</i>	124
<i>Mortuus uiuente cur pondero-</i>		<i>Otium & desidia obesum corpus</i>	
<i>sior ac grauior</i>	6	<i>reddit & frigidum</i>	76
<i>Mouendum quando</i>	65	P	
<i>Mulier perstillanti tecto compara-</i>		<i>Pannonia Austria</i>	47
<i>tur</i> 132, <i>crinita salax</i> 50, <i>ca-</i>		<i>in Parietem caducum inclinare</i>	
<i>pite pilata non cute</i> 49, <i>earum</i>	172		
<i>intemperantia</i> 46, <i>Mulier cur</i>		<i>Pauli locus (Qui videtur stare</i>	
<i>viro magis comata</i>	94	<i>obseruet ne cadat) expli-</i>	
<i>Musica mentem exhilarat</i>	62,	<i>catus</i>	174
<i>Musice viuere, prouerb.</i>	122	<i>Peccatum morbos ac mortem in-</i>	
<i>Mutatio subita quando utilis</i>	98,	<i>uexit</i>	80
<i>Mutationi omnia obnoxia</i>	153	<i>Pergracari</i>	65
N		<i>Perturbationes animi</i>	169
<i>Naturales affectus</i> 41, <i>vide Affe-</i>		<i>Petrus Carbonarius</i>	157
<i>ctus.</i>		<i>Philippi Hisp Regis decus atque</i>	
<i>Natura abhorret ab interitu</i>	36	<i>oris species</i>	110
<i>Natura cuiq; sua exploranda</i>	7	<i>Phlegmaticorum conditio</i>	133
<i>Natura mutatio</i> 4, <i>utilis</i>	6	<i>Pietatis neglectus poena</i>	172
<i>Natura vitiosa in deterius pro-</i>		<i>Pilorum origo</i> 45, <i>unde nigri</i> 45	
<i>na</i>	147	<i>Piscium esus solitarius noxius</i>	73
<i>Nauta & milites quis cito eane-</i>		<i>Pisces diu qui uiuant mari ex-</i>	
<i>scant</i>	112	<i>empti</i> 73, <i>Piscibus sanguis</i>	
<i>Negotiatorum versutia</i>	13	<i>friget.</i>	ibid.
<i>Nescite te ipsum</i>	2	<i>Pituita incommodo omnes obno-</i>	
<i>Nucha & ceruices munienda.</i>	146.	<i>xij</i> 142, <i>locus</i> 130, <i>Pituita aci-</i>	
O		<i>da</i> 138, <i>sanguinis naturalis</i>	
<i>Obesi periculo expositi</i>	98	<i>materia</i> 128, <i>conditio</i> 105, <i>Pi-</i>	
<i>Obluio aliquando grata</i> 146, <i>Ob-</i>		<i>tuitosi ignaui</i> 136, <i>Pituitosis</i>	
<i>liuio rerum quando expetenda</i>		<i>cœna parca sit</i> 137, <i>exercendū</i>	
	147	<i>labore.</i>	ibid.
<i>Oculi glauci unde</i>	94	<i>Pituita morbi</i> 130, <i>Pituita</i>	
<i>Oleum camino adicere prouer.</i>	160	<i>species & effectus</i> 140, <i>Pitui-</i>	
<i>Omphacium quid</i>	148	<i>tosi hominis laus</i> 137, <i>Pituita</i>	
<i>Oppilatio & putreda morborum o-</i>		<i>salsa</i> 141, <i>vitrea.</i> ibid. <i>dulcis</i>	
<i>rigo</i> 11, <i>Oppilationem qua dis-</i>		<i>138, Pituitosi que somniāt</i> 134	

IN LEV. LEM. DE COMPLEX.

<i>Pituita quæ partes obnoxia</i>		<i>Ructus acidi & nidorosi</i>	65
141, eius usus	130	<i>Res non naturales</i>	54
<i>Polycleti regula</i>	39	<i>Rhetorica popularis</i>	62
<i>Pollionis scita sententia</i>	87	<i>Rusticatio laudata</i>	63
<i>Pollutio unde ac seminis effluxus</i>		<i>Ruta in sceminis Venerem acuit,</i>	
135		<i>in virus extinguit.</i>	96.
<i>Transi ieiunis erectiores</i>	6		
<i>Prouerbij origo obesa & emuncta</i>		<i>Salua & sudor ex humoribus</i>	
<i>naris 136, Prouerbiu non</i>		<i>vires concipiunt</i>	106
<i>mouenda noxia 147, in igna-</i>		<i>Samsonis virtus</i>	51
<i>nos 52, Prouerbiu rusticu</i>		<i>Sanguine cur abstinendum Moses</i>	
<i>63, in rubet barba homines 156</i>		<i>preceperit</i>	108
<i>Prouentus hortensis</i>	78	<i>Sanguinei pure stultitia perfusa</i>	
<i>Pubertas</i>	34	116, ad cælibatum parum ido-	
<i>Pueritia. ibid. Pueri & senes</i>		<i>donei 127, inter Sanguineos &</i>	
<i>obliuiosi, sed diuersa ratione</i>		<i>cholericos discrimen 119, San-</i>	
<i>145, non domandi inedia 31,</i>		<i>guinis vis in constituenda ani-</i>	
<i>cur imberbes 48, victum hu-</i>		<i>mi natura 116, natura 105,</i>	
<i>midum exigunt 57, cur ante-</i>		<i>Sanguis qua mēsurā dilui de-</i>	
<i>actorum memores 146, Pueri</i>		<i>beat alius humoribus 120, Sā-</i>	
<i>& senes inter se contraria 94,</i>		<i>guis & spiritus vitæ thesaurus</i>	
<i>Pueri & ebrj cur somnoletj 67</i>		65, non temere detrahendus	
<i>Pulmo & lingua conceptus de-</i>		108, Sanguinei non acerbj 119	
<i>nunciant</i>	169	<i>Sanguini cateri humores im-</i>	
<i>Putredini obnoxij calidi & humi-</i>		<i>mixti 165, Sanguis ad luxū</i>	
<i>di</i>	124	<i>incitat 122, Sanguis aliis hu-</i>	
<i>Pythagorici cur lacte abstine-</i>		<i>moribus vitur ad formandos</i>	
<i>bant.</i>	129.	<i>mores 119, Sanguinis feruo-</i>	
		<i>rem qua tēperant 57, Sangui-</i>	
		<i>nis utilitas 108, Sanguis la-</i>	
<i>Q</i>		<i>ctis materia 129, Sanguis te-</i>	
<i>Quadruplator.</i>	67.	<i>nuis quid efficiat 16, Sangui-</i>	
		<i>nei hominis varij mores 121,</i>	
		<i>Sanguis crassus quid efficiat 16.</i>	
<i>R</i>		<i>Sanitas quid 1, auro potior 2,</i>	
<i>Rapa spiritus visorios instaurat</i>		<i>memoria robur</i>	147
152.			
<i>Reipublica forma</i>	13		
<i>Rerum natura spiritu diuino per-</i>			
<i>fecta</i>	74		
			<i>Sans</i>

I N D E X.

- | | |
|---|--|
| <p>Sani ne medicamentis assuescant
 65. ex Sanis sana produci 104,
 in Sanitate tuenda ordo 63
 Sapiens metu concutitur 113
 Satietas vitanda 63
 Scipioni arundineo inniti 162
 Securitas hominis Christiani unde:
 162.
 Semen corruptum quid noxia adferat 162, Semen quid 127,
 Seminis & sanguinis natura 30, efficacia 104.
 Senecta 34, Senectus praematura 97, cruda unde 32, Senes & pueri cur obliuiosi 19, Senes sicci natura, conditione humidis 107, Senium quid sit 32, in Senibus periculosa mutatio 59,
 Seueri vino exhilarescunt 166
 Sicci astricta humidis laxa alio 93, Sicci habitus nota 81, Siccis quae praeter Venerem noxia 88:
 Simulatores in conuiuio 68
 Synochus seu continens febris 124
 Situs in cibis 134
 Socordes qui 167
 Soli, humor Lunae comparatur 93
 Solitarij apoplexiae obnoxij 74
 Somnia diuinitus immissa 115
 Somnus biliosus utilis 159, Somnus diurnus noxius 71, moderatus utilis humidis 97, quid sit 65, in quem usum 115, octo horarum sit 66, Somni utilitas 86, commoditates 67,
 Somnus & vigilia 67, ex Somnii corporis status docetur 133, non temere iis fidendum 135, Somniorum naturalium interpretatio 134, Somnia cur in initio somni non percipiuntur 97
 Spadix color qui 42
 Spiceus color a spica vel culma ordei 133
 Spiritus Domini 23, Spiritus puri quid efficiant 10, Spiritus crassus quid efficiat 18, Spiritus 9, quae eos vitiant. ib. foueant. ibid. Spiritus quid 10, Spirituum origo ibid. Spiritus ut se per corpus diffundat 18, Spiritum aquis incumbere quid sit 23, Spiritus natura. ibid.
 Splen unde risum moueat 166, cur latitiae causa 169, fisco assumulatur 165, mentem obnubilat 169, agilitati officit 165, Splenis morbi. ibid. usus & natura 164, Splenem non posse adimi 165, Spleneticis quae usui 165
 Sterilitas & generandi impotentia unde 50
 Studiosi melancholiae expositi 163
 Sudandi modus 123
 Sudor Britannicus unde nomen adeptus. ib. Sudoriferus morbus in Belgica quando 122, Sudor Anglicus ephemera fer-</p> | <p>65.
64.
62.
63
it.
6.
is
6.
SI
es.
8
a
9-
y
a-
i-
6
e-
i-
10
16
9
-
11
4-
18
-
i-
-
-
6.
-
7
3.</p> |
|---|--|


IN LEV. LEM. DE COMPLEX. INDEX.

bris species	ibid.	spiciuntur 105, unde oriatur	
Superstitio.	29		108
Supinus decubitus nocentiss.	69	Venenata non herba	74
Suspecti anobardi	156	Veneris moderatio 162, comoda	
		125. incommoda	126
T			
Temeraria audacia	51	Venus corpus eneruat	144
Temporum anni & atatum com-		estate viris noxia	96
paratio	35	Versicolor species quid designet	109
Temperamentum quid	36	Viaticum exacta via querere	59
Temperamenta novem	37	Vicissitudo grata	66
mutationi obnoxia	107	Victus plus satis humidus noxi-	
Temperantia quid efficiat	72	us	97
Temulentia cur balbutiant	132	Vigilia moderatione exigit	70
Terebinthina in liquorem reda-		Vinum pueris noxium	57
cta, poculenta fit	86	Vinum intus, foris oleum	73
Terebinthine efficacia	85	Vinum minus generosum	84
preparatio	ib.	Virilis etas	96
Tetrici quando festivi	6	Viri cur seminis prudentiores	52
assuescant sodalitiis	166	Virtutibus vitia permixta	94
Themistoclis ingenium	156	Vitalis spiritus	15
obliuione quare optauerit	147	Vitam quid sulciat	78
Thimon osor hominum	171	Vitulini dentes, prouerbum	118
Tibicinis vita	122	Vituli marini Seehunde	73
Traianus Cesar	165	Vocionis vsus vetustus	88
Tranquillitas	71	Vocem robustam quid efficiat	52
Tremor in periculis vnde	113	Vomitibus quibus noxius	66
		raro prouocandus	65
U			
Valetudini que officiant	33	Vrinam prouocantia	84
Valetudinis collapsa signa	15	Vti foro	129
Vecordes qui	167		
Z			
Vena non temere incidenda	64	Zelus absq; iudicio	13
ea incisa omnes humores con-		Zeno quando festiuus	6

F I N I S.

r
08
74
da
26
44
96
09
59
66
vi-
97
70
57
73
84
96
52
94
15
72
118
73
88
52
66
65
84
29

13
6



Pa 456 ¹/₂ 8

ULB Halle

3

003 573 729




5b.

f

5b.





2
LEVINI LEMNII
MEDICI ZIRIZÆI,
DE HABITV ET CONSTITV-
TIONE CORPORIS, QVAM GRÆCI
κρᾶσιν, Triuiales COMPLEXIONEM
vocant, Libri II;

*Omnibus quibus secunda valetudo cura est, apprime necessarii: ex
quibus cuiq; proclue erit corporis sui conditionem, animiq;
motus, ac totius conseruanda sanitatis rationem ad amuf-
sim cognoscere.*

Nunc vero ab innumeris mendis, quibus passim scate-
bant, vindicati; opera G. A. G. formaque commodiore in
lucem editi.

Cum INDICE Rerum & verborum copiosissimo.



FRANCOFVRDI
Apud Ioannem Wechelum,
M D LXXXXI.

